



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XXI. De merito Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

95 Obijcies ultimò : Majorem videtur habere A oppositionem cum unione hypostatica habitus vitii , quàm fomes peccati : Sed habitus vitiosus , de potentia absoluta possunt esse in humanitate Verbo unita : Ergo & fomes peccati , Major videtur manifesta , Tum quia habitus vitiosus proximior est malo ad quod dat facilitatem , quàm fomes qui non dat facilitatem , sed in potentia consistit . Tum etiam quia fomes peccati non inclinatur in malitiam moralem formaliter , sed tantum pro materiali , scilicet ad bonum delectabile ; habitus verò vitiosus est facilitas , inclinatio , & promptitudo ad malum , ut malum malitià morali formaliter . Minor verò suadetur : Cum unione hypostatica solum malum culpæ videtur habere oppositionem : Sed habitus vitiosus non importat malum culpæ , ablatam enim omni culpā , imò & reatu pœnæ , possunt manere hujusmodi habitus , ut patet in baptizatis , quibus omnis culpa & pœna perfecte remittitur , & tamen si habeant antea habitus vitiorum , non propterea per baptismum auferuntur : Ergo habitus vitiosus possunt , saltem de absoluta potentia , in humanitate Verbo unita existere .

96 Respondeo , concessa Majori , negando Minorē , implicat enim habitus vitiosus in humanitate Verbo unita existere , quiddam in contrarium dicant Vazquez hic disp. 61. cap. 8. num. 36. Ragusa disp. 114. §. 8. & alii ejusdem Societatis . Ratio verò negati ex principiis suprà statutis facile colligitur . Christi enim humanitas , ex vi unionis hypostaticæ , est infinitè atque summè sancta : Sed cum infinita & summa sanctitate habitus vitiosus impossibilis est : Ergo & cum unione hypostatica . Major patet , Minor probatur . Tum quia summa & infinita sanctitas , nedum cum peccato , sed etiam cum potentia proxima peccandi , impossibilis est , ut articulo præcedenti ostendimus : Ergo & cum facilitate ad peccandum , quæ proximiùs ad peccandum , quàm ipsa potentia accedit . Tum etiam , quia summa sanctitas dicit summam à peccato distantiam : Sed major est distantia , à peccato distare , & à facilitate ad peccandum , quàm à solo peccato : Ergo summa sanctitas nedum opponitur peccato , sed etiam vitio , quod facilitatem ad peccandum præstat . Unde ad probationem Minoris , Major neganda est ; nam cum unione hypostatica , non solum peccatum , sed etiam proxima & expedita ad peccandum potentiam , & à fortiori facilitas , inclinatio , & promptitudo ad peccandum , impossibilia sunt .

§. III.

Corollarium notatu dignum.

97 EX dictis in hac disputatione colligitur , tres esse causas sufficientes impeccabilitatis Christi . & exclusionis fomitis ab ejus humanitate . Prima & principalis est unio hypostatica , quæ cum summè & infinitè humanitatem Christi sanctificet , nedum peccatum , & potentiam peccandi , sed etiam omnes motus inordinatos appetitus sensitivi prorsus excludit , ut ex suprà dictis patet .

Secunda est visio beatifica , quæ cum animam Christi primæ rectæ operationis regulæ conjungat , illam etiam reddit impeccabilem , & insuper vim & efficacitatem habet comprimendi omnem inordinatum affectum appetitus sensitivi : si enim in via , perfecta Dei contemplatio , quæ est sub velamine fidei , ita ad se rapit sen-

suum , ut licet non impediat omnem motum appetitus , saltem ipsum egerie moderetur , ut pro eo tempore quo durat , impediat , ut patet ex eadem ; nihil mirum , si clara illa Dei contemplatio , constanter in Christo & in Beato perseverans , omnem inordinatum motum appetitus prorsus impediat .

Tertia causa impeccabilitatis Christi , exclusionis fomitis ab ejus humanitate , sumitur ex perfectione gratiæ habitualis in anima ejus existentis , & virtutum quæ ab ea dimanant , in enim gratia , ratione conjunctionis quam habet cum gratia unionis , & quia in Christo est actu perfecto & cōnaturali , habet quandam participationem gratiæ patriæ , ratione cujus humanam animam Christi in bono , & potentiam peccandi , ac fomitem peccati , motusque omnes inordinatos appetitus sensitivi , ab humanitate ejus excludit ; atque ita Christus triplici titulo laudatus & impeccabilis est , unde ob triplicem illam sanctitatem & impeccabilitatem ejus causam & prærogativam , Daniel . 9. Sanctus Sanctus appellatur ; & Isaiæ 6. Seraphim dicunt , sacrum illud trifagium , Sanctus Sanctus Sanctus , ante Thronum ejus decantant .

DISPUTATIO XXI.

De merito Christi.

Ad Questionem 19. D. Thomæ.

Celebris est hæc disputatio , plures enim graves circa meritum Christi , ejusque libertatem , quæ est conditio ad merendum necessaria , occurrunt difficultates , quas arduis sequentibus , eā quā poterimus perspicuè & brevitate , proponemus ac resolvemus .

ARTICULUS PRIMUS.

An & quando Christus meruerit ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiae.

PRO resolutione utriusque difficultatis respondendum est ex Tractatu de justificatione de merito , sex conclusiones de lege ordinata ad merendum esse necessarias : Nam primo requiritur quod actio meritoria sit libera , quantum ad liberos nec meremur , nec demeremur . Secundò , operatio debet esse bona ex objecto & omnibus circumstantiis , nam actus malus non meretur præmium , sed pœnam . Tertiò , debet procedere à subiecto grato , juxta illud Genesi . 4. Respexit Dominus ad Abel , & ad munera ejus . Ubi prius ad Abel , id est ad subiectum Deo gratum , deinde ad munera ejus respexit Dominus . Quarta , operatio debet esse grata , quia nisi subiectum sit gratum , opera ejus Deo grata non sunt . Quintò , quod formaliter vel virtualiter referatur in finem supernaturalem , quia ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 4. charitas est quæ conjungit actus aliarum virtutum cum ultimo fine , & ideo ex imperio charitatis habent quod sint meritoria : vixit enim beati & damnati , quia sunt inter terminos , meriti

vel demereri non possunt. Sexto, quod ad sit patrum & promissio ex parte Dei, & ex parte operantis seu merentis, ordinatio operis ad consequendum primum: quia sine tali promissione & ordinatione, Deus nemini obligari potest ad reddendum primum.

Supponendum est etiam, quatuor esse tempora vel instantia de quibus dubitari potest an Christus meruerit, nempe primum instans conceptionis, reliquum vite tempus usque ad mortem, ipsum instans mortis, & tempus quod post Christi mortem successit. His præmissis.

Licet omnes Theologi unanimiter fateantur Christum dum erat in terris viator, verè & propriè meruisse, idque certè & indubitata fide tenendum sit tamem circa tempus quo meruit, varia sunt Authorum placita, sed omnes sententiæ, ad quatuor reduci possent exilimo.

Prima negat Christum meruisse in primo conceptionis instanti. Hanc tenet Alenius 3. part. quæst. 17. membro 2. art. 1. illamque probabiliorem censet Albertus in 3. dist. 18. art. 6. & D. Bonaventura ibidem art. 10. quæst. 2. & ut probabilem defendit Durandus in eadem distinctione quæst. 2.

Secunda per extremum affirmat, Christum meruisse non solum in hac vita mortali, sed etiam post mortem. Ita quidam quos sine nomine refert Vincentius relect. de gratia Christi quæst. 1. pagina 438. Pro hac etiam refertur Regula hic disp. 1. §. 1. & alii qui volunt Christum meruisse per effusionem sui sanguinis ex latere transfixo, quod vulnus certum est fuisse Christo inflictum post ejus mortem. Huic etiam favent quidam Theologi, qui ut refert Vazquez hic disp. 76. cap. 1. docent Christum nunc actu mereri in sacrificio missæ, & in collatione sacramentorum.

Tertia Christi meritum a primo instanti conceptionis usque ad instans mortis inclusive protendit, & asserit in instanti terminativo vitæ, mortisque inceptivo, meruisse. Ita Cajetanus in 4. quæst. 50. art. 6. §. ad 1. & 2. 2. quæst. 124. art. 4. ad 2. Martini argumentum, quem sequitur Hurtado disp. 63. sect. 10.

Quarta & vera sententia, quæ apud Theologos non solum domesticos, sed etiam extraneos communis est, docet Christum meruisse quidem in primo instanti conceptionis, & toto tempore vitæ, non tamen post mortem, nec in ipso instanti terminativo vitæ, mortisque iniciativo.

§. II.

Statuitur prima conclusio, & ostenditur Christum, verè & propriè meruisse.

Dico primò, Christus verè & propriè meruit.

Conclusio est certa de fide, colligitur enim aperte ex variis Scripturæ locis: Nam dicitur Mat. 13. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Item: Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur. Quibus verbis demonstrat Propheta uberrimum fructum qui Christo Domino in præmiis passionis erat præparatus. Unde Hieronymus in hunc locum: Quia igitur laboravit, videbit Ecclesijs in toto orbe consurgere, & eam saturabitur fide. Dicit etiam Apostolus ad Philip. 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit eum. Ubi exaltatio Christi, illius humilitati &

A obedientiæ, ut causæ meritoria tribuitur. Denique in Tridentino definitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis: Ergo Christum verè & propriè meruisse, certè & indubitata fide tenendum est.

Ratio etiam suffragatur: In Christo enim concurrunt omnes conditiones ad meritum requisitæ: Ergo verè & propriè meruit. Consequentia patet. Antecedens probatur inductione, discurrendo per singulas. In primis certum est secundum fidem, Christi humanitatem habere liberum arbitrium, ut ostendit S. Thomas quæst. 18. art. 4. & per consequens actiones ejus fuisse liberas. Secundò, omnes actiones Christi ex objecto & circumstantiis erant bonæ, ut ipse testatur Joan. 8. dicens: Ego quæ placita sunt ei facio semper. Tertiò, ejus humanitas erat Deo grata, tum gratiæ unionis, tum gratiæ habituali. Quarto, per actum charitatis omnia opera sua in Dei gloriam referebat. Quintò, ejus actiones erant viatoris: nam ut ostendit D. Thomas hic quæst. 15. art. 10. Christus simul erat viator & comprehensor, quia licet ab instanti conceptionis haberet beatitudinem animæ, & visione beatificâ frueretur, carebat tamen gloriâ corporis, & in eam tendebat per actus meritorios. Unde Jeremias 14. colonus & viator appellatur. Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum. Denique, promissum est præmium actionibus Christi, ut colligitur ex verbis Isaie supra relatis, & similiter Christus ordinavit actiones suas ad tale præmium: Sed conditiones illæ sufficiunt ad meritum, ut in Tractatu de merito fusiè ostensum est: Ergo in Christo reperiuntur omnes conditiones ad meritum requisitæ.

Disp. 2.
art. 2.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Meritum libertatem arbitrii requirit: Sed in Christo libertas arbitrii non fuit, cum determinatus ad bonum extiterit, sine indifferentia ad malum: Ergo mereri non potuit.

Respondeo negando Minorem: Licet enim in Christo non fuerit libertas contrarietatis, consistens in indifferentia ad bonum & malum, fuit tamen libertas contradictionis, consistens in indifferentia ad agere & non agere, & ad hoc & illud bonum, quæ libertas ad meritum sufficit. Ita D. Thomas quæst. 29. de verit. art. 6. ad 1. & in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5. De quo fusiè infra.

Obijcies secundò: Meritum est opus viatoris: Sed Christus a primo instanti conceptionis non fuit viator, sed comprehensor: Ergo mereri non potuit.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: licet enim Christus a primo instanti conceptionis esset comprehensor, & visione beatificâ frueretur, tamen simul erat viator, ut docet S. Thomas hic quæst. 15. art. 10. quia carebat beatitudine corporis.

Dices primò: Licet Christus simul esset viator & comprehensor, tamen non erat viator secundum animam, cum illa a primo conceptionis instanti, visione beatificâ frueretur, sed tantum secundum corpus, quod erat mortale & passibile: Atqui meritum esse debet ab anima, & a voluntate quæ potentia ejus est, & non a

M m m m 3 cor-

corpore & viribus ejus: Ergo licet Christus fuerit viator, tamen mereri non potuit.

11 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, Christus enim non tantum ratione corporis præcise, sed etiam secundum animam erat viator; nam Christi anima dupliciter considerari potest, primo secundum mentem seu partem superiorem, secundum quam est persona incompleta, habens esse independentem à corpore, & proprias operationes intellectus & voluntatis, quibus clarè videbat Deum, & ejus præsentia fruebatur, & secundum hanc rationem Christus fuit comprehensor ab instanti suæ conceptionis. Secundo considerari potest, quantum informabat ante mortem Christi, corpus ejus passibile & mortale, tribuendo illi gradum corporeum, vegetativum, & sensitivum, & ut erat principium passionum seu affectuum animalium appetitus sensitivi; & secundum hanc rationem Christus fuit viator, etiam secundum animam. Unde simul in eadem Christi anima reperiebatur gaudium comprehensoris, & tristitia viatoris, quam explicuit Christus, quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

12 Dices secundò: Si Christus ex carentia beatitudinis corporis, constituitur in statu viæ capaci merendi, animæ beatorum erunt in statu merendi, quia similiter carèt beatitudine corporis.

Sed negatur sequela: Christus enim non ex eo solù fuit viator, quia caruit beatitudine corporis, sed quia illius anima erat corpori passibili unita, passibilitate ortà ex carentia beatitudinis corporis: animæ autem Sanctorum in patria, corpori unitæ non sunt, & aliàs sunt impassibiles, & idcirco omnino extra statum merendi constitutæ. Ita D. Thomas quæst. 29. de verit. art. 6. ad 5.

13 Dices tertio: Si Christus meruit, quia fuit simul viator & comprehensor, non meruit de lege ordinaria, sed ex aliqua dispensatione speciali; nam quod simul esset viator & comprehensor, habuit Christus ex dispensatione speciali; de lege enim ordinaria gloria animæ ejus in corpus redundare debebat, illudque reddere impassibile.

Sed negatur pariter sequela, licet enim conjunctio status viatoris cum statu comprehensoris in Christo, fuerit facta ex speciali privilegio, illà tamen supposita, ut Christus mereretur, speciali dispensatione non eguit, sed id contingit ex ordinaria providentia Dei: licet licet conjunctio humanitatis ad Verbum, miraculosa fuerit, omniumque miraculorum miraculum; illà tamen supposita, quod Christus ut homo actus humanos eliceret, non miraculosum, sed connaturale fuit.

14 Obijcies tertio: Meritum dicit imperfectionē in merente: Ergo nullatenus debet poni in Christo. Consequentia videtur legitima, Antecedens probatur. Qui meretur expectat aliquid sibi conferendum ab alio tanquam a superiori: Ergo meritum dicit inferioritatem & indigentiam, subindeque imperfectionem, in persona merente.

15 Respondeo, concessa Antecedente, distinguendo Consequentem: Ergo meritum nullatenus debet poni in Christo, ratione naturæ divinæ, concedo. Ratione naturæ assumptæ, nego. Nam ratione talis naturæ potest Christus se subicere Deo ut superiori, & ab eo expectare præmium, si indeque verè & propriè mereri, & de condigno satisficere, ut disp. 4. ostensum est.

Alia difficultas resolvitur, & quo tempore Christus fuerit, quator sequentibus conclusionibus declaratur

Dico secundò: Christus meruit in primo instanti conceptionis instanti. Ita D. Thomas quæst. 34. art. 3. & Theologi communiter.

Probatum primò ex Scriptura, dicitur enim ad Hebræos 10. de Christo: *Ingressus mundum dixit, hostiam & oblationem nolasti &c.* tunc ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facias Deus voluntatem tuam. Ex quibus verbis

B potest desumi argumentum. Oblatio in qua Christus fecit Patri ingreditur mundum, voluntas illa quæ tunc pro salute generis humani, se obtulit Patri, & statuit opus nostræ redemptionis ad quod missus fuerat perficere, re fuit meritoria: Sed talis oblatio, & mortuæ acceptio, facta fuit in primo instanti conceptionis: Ergo in illo instanti Christus meruit. Apparet, Tum quia talis oblatio & mortuæ acceptio, fuit libera, & ex charitate, habuitque illa conditiones ad meritum requisitas. Tum etiam quia Apostolus de illa subdit paulò post: *In voluntate sanctificati sumus*: voluntas autem operatio quæ Christus sanctificavit nos, facta gloria atque meritoria fuit. Minor vero dicitur: Tum quia Christum ingredi in mundum

C lūm verificatur de primo instanti conceptionis, nam ante primum instanti conceptionis, non verum cum proprietate dicere quod Christus ingreditur in mundum, sed quod ingressus sit. Pro tempore autem subsecuto ad primum instanti, non est verum dicere quod ingreditur, sed quod ingressus est. Tum etiam quia ut ex contextu patet, *ly tunc* referendum est ad illam durationem, quæ Deus Christo aptavit corpus seu dedit ei corpus aptum ad immolationem, quia passibile: Sed hæc duratio est primum instanti conceptionis: Ergo in illo instanti Christus se obtulit Patri, & mortem pro salute generis humani acceptavit.

D Confirmatur: Quamvis daretur quod ex verbis illis Apostoli non satis evinci posset, Christum in primo conceptionis instanti meruisse, ex illis tamen aperte constat, ipsum subter initium, saltemque aliquando post meruisse, ferendo se Patri, & dicendo, *Ecce venio*: unde etiam non possit assignari ratio ulla cur meritum Christi, eaque voluntas in qua sanctificati sumus, oblationem tantisper sit passa, prudenter factum demur, si quod est Christo dignius, planeque obficultate vacat, ei tribuamus; ne prima quævis vita ejus portio abierit in frugifera, & meriti expers. Præsertim cum Angelos à primo probationis instanti meruisse, pervulgata sententia sit, & nulla perfectio, aut prærogativa deest Christo denegari, quæ pure creaturæ cōceditur.

E Probatum secundò conclusio ratione quæ datur S. Thomas intra quæst. 34. art. 3. Christus à primo instanti conceptionis habuit actum voluntatis supernaturalem & liberum: Sed illi actui nihil defuit necessarium ad meritum: Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit. Minor patet, Major verò à S. Doctore ostenditur. Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit. Sed justificatio per proprium voluntatis actum quæ est justificatio adultorum, perfectior est

quoad modum justificatione sine proprio actu, A
quæ est justificatio parvulorum: Ergo Christus
in primo instanti fuit justificatus per proprium
actum voluntatis, more adultorum, & conse-
quenter in primo instanti conceptionis, actum
voluntatis supernaturalem & liberum exer-
cuit; solus enim actus liber & supernaturalis, est
dispositio antecedens vel concomitans nostram
justificationem.

Dico tertio: Christus meruit in infantia, &
toto tempore vitæ, usque ad instantem mortis.

Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis
19 in precedenti: si enim Christus in primo instan-
ti conceptionis meruit, non est cur infantie
tempore ipsum non meruisse dicamus.

Favet etiam SS. Patres, qui passim in sermo-
nibus de Nativitate, Circumcisione, & pueritia
Salvatoris, agnoscunt incommoda, quæ Christus
infans pertulit, fuisse nobis meritoria, & saluta-
ria: Ambrosius enim lib. 2. in Lucam cap. de Na-
tuitate Salvatoris sic ait: *Me illius infantia va-*
gentis abluit fletus, mea lachryma illa delicta lave-
runt. Augustinus serm. 11. de tempore: *Adoremus*
pannos infantie, ex quibus facta sunt emplastra na-
tura. Item S. Thomas infra quæst. 37. art. 1. in-
ter alias causas circumcisionis Christi, hanc sta-
tuat, ut scilicet legis onere nos liberaret, se-
cundum illud Galat. 4. *Misit Deus Filium suum si-*
cutum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.

Ratio etiam suffragatur: Ut enim sæpe dixi-
mus, & est ritum & commune Theologorum
principium, Christo tribuenda est omnis perfe-
ctio possibilis, quæ nec cum munere Redempto-
ris, nec cum majori perfectione pugnat: At Chri-
stus in infantia nobis meruisse, cum munere
Redemptoris non pugnat; imò potius infinitam
ejus erga homines charitatem mirum in mo-
dum commendat; nec cum majori perfectione
impossibile est, ut ex argumentorum solu-
tione patebit: Ergo asserendum est, Christum
tempore infantie meruisse.

21 Ex quo probata manet secunda pars conclu-
sionis: Non enim repugnat Christum à primo in-
stanti conceptionis, usque ad instantem mortis ex-
cludere, meritum continuasse, cum à sensibus in-
merendo non dependerit, ut ex infra dicendis
constabit; & alia sic meruisse, maxime charita-
tem ejus erga homines commendat: Ergo asse-
rendum est, Christum meritum suum à primo
instanti conceptionis, usque ad instantem mortis
exclusivè continuasse.

22 Dico quartò: Christus nec meruit nobis post
mortem, neque nobis nunc meretur.

Probatur primò ex Scriptura, Apostolus
enim ad Hebræos 10. docet Christum oblatione
corporis sui, quæ in cruce se Deo Patri pro no-
stra redemptione & salute obtulit, consummas-
se in sempiternum sanctificatos, seu nostræ re-
demptionis opus perfecisse: Sed hoc falsum es-
set, si adhuc post mortem, nostram salutem, vel
aliquid ad illam spectans, meruisset, aut mere-
retur: Ergo Christus nec meruit nobis post mor-
tem, neque nobis nunc meretur.

3 Probatur secundò conclusio: Una ex condi-
tionibus requisitis in aliis hominibus, ad mero-
dum sibi, vel aliis, est status viatoris: Sed nulla
est ratio excipiendi ab hac conditione & regu-
la generali Christum: Ergo post mortem, in qua
status viatoris terminatur, nec sibi, nec aliis me-
ruit. Major in Tractatu de justificat. & merito,
2. fuse declarata & probata fuit; Minor verò sua

detur: Tum quia ad istam exceptionem nullum
adeest fundamentum. Tum etiam, quia ipsemet
Christus Joan. 9. expressè fateretur se sub hac ge-
nerali lege comprehendi, cum ait: *Me oportet*
operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit
nox quando nemo potest operari, id est mereri: per
noctem enim intelligitur in hoc loco mors: seu
tempus quod erit post hoc sæculum, ut anno-
tarunt Chrysostomus homil. 55. in Joan. Au-
gustinus Tract. 44. in Joan. & Origenes homil.
3. in Psalm. 36. ubi hæc scribit: Dominus & Sal-
vator ait, venit nox quando nemo potest operari, &
hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc sæculum,

B *tempore quo unusquisque pro malis suis recipiet pœ-*
nas. Tunc ergo dicit, noctem illam futuram, cum
jam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque
tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus opera-
tus est. Cum ergo nox fuerit, nemo operatur. In illo
tempore malo, cum peccatores supplicii affliguntur,
erit sine dubio fames his, qui nullos fructus boni operis
collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur
justi, ex fructibus scilicet justitiæ suæ. Sicut enim in de-
serto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die,
non unius diei modium, sed quantum sufficeret ad cra-
stinum colligebant, & unusquisque edebat in die sab-
bati quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut
sexta quadam dies putanda est Domini nostri Iesu
Christi adventus, & tempus hoc dispensationis ejus

C *quam passione sua hoc in sæculo procuravit. Et idcir-*
cò dum in die sexta sumus, colligamus manna duplici-
ter, ut sufficere nobis possit, dum advenit vera
sabbati observantia populo Dei. Si enim non collegeri-
mus duplices cibos, qui nobis & in presenti sæculo suf-
ficiant & in futuro, in diebus famis non saturabi-
mur.

Dico quintò: Christus in instanti mortis suæ
non meruit.

Probatur primò ex Divo Thoma infra quæst. 24
50. art. 6. in corp. & ad 2. ubi docet mortem
Christi in facto esse non fuisse operatam merito-
riæ nostram salutem: Sed in instanti extrinseco
vitæ Christi, & intrinseco mortis, est mors Chri-
sti in facto esse, cum sit verum dicere in illo,
Christus mortuus est: Ergo Christus in illo in-
stanti non meruit.

25 Probatur secundò: Status vitæ, sumptus pro
conjunctione animæ ad corpus passibile, est
conditio necessaria ex divina ordinatione ad
merendum sibi & aliis: Sed in instanti physico
mortis, non fuit anima Christi corpori mortali
unita: Ergo in illo instanti non meruit. Minor
probatur ex communi Philosophorum senten-
tia, docente, viventia definire esse per pri-
mum sui non esse: Ergo in instanti mortis Chri-
sti, verum fuit dicere, nunc primò non est Chri-
stus ut homo vivens vitæ mortali: Ergo verum
fuit dicere, nunc primò anima Christi non est
illi corpori unita, & consequenter in illo in-
stanti, anima Christi non erat corpori mortali
conjuncta.

§. V.

Solvuntur objectiones.

26 **O**bjicies primò contra secundam conclusio-
nem: Meritum consistit in actuali opera-
tione: Sed in primo instanti in quo res incipit
esse, actualiter operari non potest: Ergo nec
actu mereri, & consequenter Christus in primo
instanti non meruit. Major patet, Minor
probatur.

probat. Operari, juxta commune axioma, sequitur ad esse. Ergo in primo instanti conceptionis rei, nequit dari actualis operatio.

27 Respondeo negando Minorem, ad probationem dicatur operationem successivam supponere prioritate temporis esse, secus autem instantaneam, hæc enim solum petit supponere esse prioritate naturæ, ac proinde potest esse simul tempore cum illo: unde in eodem instanti in quo Sol incepit esse, incepit illuminare, & in primo esse conceptionis Christus vidit divinam essentiam: actus autem voluntatis ad meritum requisitus, non successivus, sed instantaneus est, & per consequens potuit in Christo in primo instanti suæ conceptionis competere. Ita D. Thomas infra quæst. 34. art. 2. ad 1. & quæst. 29. de verit. art. ultimo ad 3.

28 Dices: Actus meritorius debet esse liber, saltem quoad exercitium: Sed actus liber præexistentiæ rei in tempore petit. Ergo & actus meritorius. Minor probatur: Actus liber requirit consultationem: Sed consultatio, cum in discursu & collatione consistat, non potest in instanti exerceri: Ergo actus liber non potest convenire agenti in primo suæ formationis instanti, subindeque illius præexistentiæ petit.

29 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem dicendum, actum liberum præexigere consultationem, cum non supponit plenitudinem cognitionis, secus verò cum plenitudinem scientiæ & cognitionis supponit: Christus autem sicut a primo instanti fuit plenus gratiâ, ita habuit plenitudinem scientiæ speculativæ & practicæ, & ideo ad actum liberum, seu ad liberam electionem, nec consultationem, nec deliberationem consilii indigebat. Solutio est D. Thomæ infra quæst. 34. art. 2. ad 2. & quæst. 29. de verit. art. 8. ad 1.

30 Obijcies secundò contra tertiam conclusionem: Meritum cum in actu voluntatis consistat, actum intellectus regulantem requirit: Sed non fuit instanti tempore in Christo actus intellectus regulans: Ergo nec actus meritorius voluntatis. Major patet, Minor probatur. In Christo triplex tantum scientia fuit: beata scilicet, infusa, & experimentalis: Sed nulla ex his potuit actum meritorium regulare: Ergo &c. Minor probatur quantum ad singulas partes. In primis enim quod scientia beata actum meritorium regulare non potuerit, manifestum videtur: nam meritum convenit Christo in quantum viatori: At scientia beata Christum comprehensorem constituit, ipsique ut viatori non competit: Ergo actus meritorius in Christo regulare non potuit. Idem videtur dicendum de scientia experimentalis, hæc enim cum a sensibus dependeat, quorum actus Christo tempore instantiæ non competeant, præsertim quando erat clausus in utero matris, non potuit illo tempore à Christo exerceri. Quod verò meritum in Christo tempore instantiæ per scientiam infusam regulari non potuerit, eodem argumento probatur: nam etiam hæc scientia, utpote ejusdem rationis cum scientia per se acquisita, in suis operationibus à sensibus dependebat: Ergo instanti tempore nulla fuit scientia in Christo, quæ actum voluntatis meritorium regulare posset.

31 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: ad cuius probationem, nego etiam Minorem, & ad probationem illius, in primis dico non esse improbabilem plurium Theologorum

A sententiam, asserentem actus meritorios potius regulari in Christo per scientiam beatam. De qua infra. Secundò respondeo actus meritorios quos Christus in primo instanti conceptionis, vel tempore instantiæ exercuit, fuisse regulatos per scientiam infusam, quam Christus habuit in primo conceptionis momento: hæc enim potest intelligi cum conversione ad plantam arboris, & independentè ab illis, ut docet D. Thomas supra quæst. 11. art. 2. ubi quod scientia per se infusa conveniat animæ Christi ut non obligat corpori, nec ab illo dependenti, ramenti illi unita sit.

Dices, Corpus communicatum est cum anima in premio: Ergo debet etiam cum illa communicare in merito, & consequenter omnis actus meritorius debet ab anima egredi ut communicare cum corpore, subindeque regulari per scientiam a corpore dependentem.

Sed nego Consequentiam, cum enim beatitudo corporis sit ex redundantia beatitudinis animæ, & complementum illius: ut corpus cum anima in premio communicet, sufficit quod anima unita corpori actus meritorios eliciat, si non ut dependens à corpore.

Obijcies tertio contra quartam conclusionem: Christus in celis existens, Patrem pro nobis orat: Sed oratio meritoria est: Ergo Christus in celo meretur, & consequenter meruit postmortem. Major est certa, & colligitur ex variis Scripturæ locis: nam Joan. 14. Christus dicit: Ego rogabo Patrem, & alium paraclum dabit vobis, etc. 1. Joan. 2. dicitur: Advocatum habemus ad Patrem. Item ad Roman. 8. Apostolus ait, Christus est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Minor verò in qua est difficultas probatur primo: Oratio imperatoria est, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 1. Sed imperatio meritum esse constat ex Augustino Epist. 101. sic dicente: Non remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fideles impetret: Ergo ratio meritoria est. Secundò oratio habet ex charitate efficaciam merendi, ut ibidem docet S. Doctor: Sed oratio Christi in celo nunc existentis, ex maximo charitatis affectu procedit: Ergo per illam Christus nunc in celo existens meretur.

Respondeo, concessa Majori negando Minorem, ad cuius primam probationem, nego etiam Minorem: meritum enim, etiam congruum ab impetratione distingui, constat clare ex D. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 9. ad 1. ubi concedit donum perseverantiæ cadere sub impetratione, non autem sub merito: & 2. 2. quæst. 83. art. 1. docet peccatores petendo aliquid à Deo, impetrare, & tamen soluti ad 2. negat quod merentur à Deo, & ibidem art. 1. ad 1. docet Sanctos in celo existentes orare pro beatitudine corporis, illamque impetrare à Deo, & nobis beatitudinem animæ, non tamen mereri. Nec obstat testimonium Augustini quod in contrarium adducitur, nam interpretari debet ille locus, vel de merito largi & improprie sumpto, sub quo omnis exigentia formæ, sive per modum pænis aut condignitatis, sive per modum dispositionis aut impetrationis comprehenditur: vel de impetratione, quæ orationi propria non fit, sed à illa etiam virtutum operibus completar, qualiter et merito de congruo coincidit: & de hoc genere impetrationis loquendo, vera est condicio illis Augustini, quod scilicet peccatorum remissio non est sine aliquo merito, si fides impetrat illud.

Ad secundam Minoris probationem dicendum

orationem habere ex charitate efficaciam merendi, quando meritoria est, & hoc docet D. Thomas: non autem omnis oratio ex charitate procedens meritoria est, ut ex ipso iam vidimus.

Objicies quarto contra ultimam conclusionem: Voluntarium in causa sufficit ad peccatum, & per consequens ad meritum, ut communiter docent Theologi in Tract. de peccatis, vanitatem declarant exemplis: Sed in instanti extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis, mors fuit ei voluntaria in causa, nimirum ab actu libero suæ voluntatis, quo se causis mortis subiecit: Ergo in illo instanti Christus meruit.

Respondeo distinguendo Majorem: Voluntarium in causa sufficit ad meritum, si adfuerint omnes conditiones ad meritum requisitæ, concedo Majorem. Si desit aliqua conditio, nego Majorem. In instanti autem extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis desit aliqua conditio ad meritum necessaria, scilicet status viæ, anima enim à corpore separata in statu viæ amplius non est, unde 2. ad Cor. 5. dicitur: Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino; & ideo in illo instanti Christus non meruit, non defectu libertatis, sed quia illud instans erat extra viam Christi.

§. VI.

Corollarium notatu dignum.

Ex dictis inferes, Vulnus lateris Christo mortuo inflatum, non fuisse meritorium: licet enim fuerit voluntarium in causa (nam Christus dum viveret, hanc sui corporis transfixionem admittere voluit) non fuit tamen illatum Christo in statu merendi constituto, cum iam obisset, & anima abisset à corpore: unde acceptatio quidem ejus fuit meritoria; non tamen ipsum vulnus, ejusque perperissio.

Quod de merito diximus, negantes illud vulnus lateris Christi, æque dicendum est de satisfactione contra Vegam lib. 7. in Trident. cap. 18. qui censuit plagam illam fuisse satisfactoriam, etsi non meritoriam: sicut (inquit) anima in purgatorio post mortem sunt incapaces meriti, non tamen satisfactionis. Sed negandum est animas purgatorii satisfacere, cum tantum satisfaciuntur. Præterquam quod est magna disparitas inter animam perfectionis capacem cum sensu doloris, & corpus Christi animam & sensu doloris plane destitutum.

Advertendum tamen est, quod licet hæc plaga nec meritoria, nec satisfactoria fuerit, nobis tamen salutaria fuit, nam ut inquit S. Doctor infra qu. 50. art. 6. in corp. Quidquid contigit circa carnem Christi, etiam animam separatam, fuit nobis salutarium, virtute divinitatis unitæ. Hinc SS. Patres asserunt sanguinem de latere transfixo e ductum post Christi mortem, fuisse pretium nostrum ac redemptionem, & lavisse peccata nostra, unde vulnus illud saluberrimum dicitur, & S. Ambrosius in Psalm. 40. ait Christum vulneratum vitam produxisse ex vulnere. Item serm. 3. in Psalm. 118. asserit quod sicut in vineis Engaddi lignum est, quod si quis compungat, unguentum, seu balsamum emittit: Ita Christus compungus in cruce, balsamum per cavernam compunctionis erupit, & odorem remissionis peccatorum, & redemptionis effudit. Hinc etiam Guerricus Abbas serm. 4. in Ramis palmarum piissime hortatur fidelem animam, ut abscondatur in fossa humo juxta Prophetam monitum, hoc est in latere Christi transfixo. Non ad ipsum tantum (inquit) sed in

Tomus IV.

ipsum fuge. In foraminibus petra ingredi, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa latere te ipsum recondere. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere arce, salvandis à facie diluvij? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, ut cruore vulneris vivificet, calor corporis resocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspires. Ibi tunc latebis, donec transeat iniquitas. Ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat Charitas, ibi delictis affluas, ibi gaudiis superabundas, &c.

Similia habet Lanpergius homil. 54. de passionem Domini, ubi fidelem alloquens, sic ait: Disce habitare in hoc vulnere lateris, si enim amica aut sponsa est anima tua, ubi suavior illi thalamus dormiendi, quam in hoc vulnere? si columba es, ibi locus est tibi ad nidificandum, si passer esse decreveris, nusquam tibi magis conveniens erit locus, ubi abstractam & solitariam vitam agas, quam in corde Christi. Si turtur es, & castis variisque gemitibus ad Deum suspiras, hic locus requiescentis erit. Hic esuriens manna invenies, quod edas; sitiens hic fontem salutis invenies, ubi bibas: hic enim est fons paradisi, & à paradisi medio egrediens, & in fidelium se corda diffundens: est hic ostium arce, per quod intrant non perituri diluvio.

ARTICULUS II.

An Christus per actum Charitatis quo Deum diligebat, meruerit?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & referuntur sententia.

Ratio dubitandi, eaque gravissima est, quia 40. de ratione actus meritorij est quod sit liber, cum libertas sit una ex conditionibus ad meritum requisitis: Sed actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat liber, sed necessarius: Christus enim, ut potest clare & intuitu videns divinam essentiam, necessario diligebat Deum, cum Deus clare visus ad sui amorem necessiter, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 4. art. 4. his verbis: Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub ordine ad Deum: sicut voluntas non videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub communi ratione boni quam novit. Ergo actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat meritorius.

Mirum est quantum hæc difficultas Theologorum ingenia exerceat, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat. In primis enim Vazquez argumenti difficultate oppressus, disp. 74. cap. 3. absolute negavit Christum per actum aliquem charitatis erga Deum meruisse: cumque dilectio proximi, non à charitate Theologica, sed à benevolentia erga proximum, in ejus sententia eliciatur, consequenter censet per nullum actum charitatis Theologicæ Christum meruisse.

Alii distinguunt duas dilectiones in Christo, utramque ad Dei bonitatem in se & ratione sui terminatam: unam regulatam scientiâ beatâ, aliam scientiâ supernaturali infusâ; & asserunt primam fuisse necessariam, secundam autem liberam & meritoriam. Ita Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 7. Viguierius in institutionibus Theologicis cap. 20. Medina hic art. 3. & Suarez disp. 39. sect. 2. idque probabile reputat.

Nnnn

Asturi-

Asturicensis quaest. 5. de gratia Christi, & indicat Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 62.

Alij duos alios actus charitatis in Christo distinguunt, utrumque regulatum scientiâ beatâ, unum quo bona Deo intrinseca dilexit, alterum quo bona ipsi extrinseca voluit, nimirum gloriam, laudem, honorem, & obedientiam, quæ illi à creaturis exhibentur; & asserunt ipsum non meruisse primum actum charitatis, sed per secundum. Hunc dicendi modum amplectitur Lorca disp. 72. concl. 2. & placet Cipullo hic art. 3. dub. 2. concl. 2.

Alij denique asserunt dilectionem Christi ut terminatam ad bonitatem divinam, ut est ratio diligendi Deum, & illius perfectiones necessarias, liberam non fuisse, nec meritoriam: ut autem terminatam ad bonitatem divinam, ut est ratio diligendi creaturas, & volendi Deo bona extrinseca, non necessariam, sed liberam fuisse, & per consequens prout sic meritoriam. Ita Capreolus in 3. dist. 18. ar. 3. Asturicensis, Nazarius, Alvarez, Aravius, & alij ex recentioribus Thomistis.

§. II.

Resciuntur tres prima sententia, & quarta statuitur.

42. **D**ico primò: Christus meruit per actum charitatis.

Probatur breviter: In Christo fuit meritum, ut art. præc. ostensum est: At meritum per se primò reperitur in actu charitatis, & dependenter ab illo in actibus aliarum virtutum, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 114. ar. 4. & probatur, nam tota ratio nostri meriti apud Deum in hoc consistit, ut ea, quæ nostra sunt, demus Deo, & quali in ejus commodum offeramus, quantum est ex parte nostrâ: quod sola charitas facit, vel elicitivè, vel imperativè; quia ipsa sola per se primò & formaliter respicit bonum divinum, seu gloriam Dei amplificandam & extendendam, ordinatque omnia in hunc finem; reliquæ verò virtutes, si sint naturales, non versantur inmediate circa Deum, sed circa aliquid creatum: si verò sint Theologicæ, sicut fides & spes, Deum ut primam veritatem revelantem, vel ut bonum nostrum respiciunt: Ergo Christus meruit per actum charitatis.

43. Confirmatur: Christo concedendum est meritum majori perfectione possibile: Sed meritum actus charitatis est specificè perfectius meritò aliarum virtutum: Ergo asserendum est Christum per actum charitatis meruisse.

44. Confirmatur amplius: Si quid obstarat quominus Christus per actum à charitate elicitum non meruerit apud Deum, maxime quia hic actus non fuit in eo liber, certum enim est omnes alias condiciones ad meritum requisitas in illo fuisse repertas: Sed actibus charitatis in Christo non defuit libertas, ut infra ostendemus, & patet in actu charitatis, quo Christus bona extrinseca, gloriam scilicet & honorem, Deo desiderabat: certum enim est hunc saltem actum in Christo fuisse liberum, probaturque primò, quia sola bonitas increata clarè & intuitivè cognita voluntatem necessitat ad sui intellectionem: At per illum actum non attingebatur ut quod bonitas increata & divina, sed bonitas limitata & finita: Ergo non erat necessarius, sed liber. Secundò, Actus ille erat participatio formalis dilectionis Dei, qua bona illa extrinseca sibi vult: At

A Deus non necessariò, sed libere sibi bona illa intrinseca appetit: Ergo etiam actus, quo Christus bona Deo extrinseca appetebat, non erat necessarius, sed liber. Terciò, objectum non videtur necessitare voluntatem divinam, nec creaturam necessitare potest, nisi ratione imperfectæ propositionis: Sed bona Deo extrinseca non necessitant ejus voluntatem, & alias Christo cum illa imperfectio non proponebatur: Ergo nec voluntatem creaturam animæ Christi necessitabant, subindeque actus charitatis, quo Christus bona illa Deo desiderabat, non erat necessarius, sed liber.

Dico secundò: Non datur in Christo duplex amor erga Deum, alter regulatus scientiâ beatâ, & alter regulatus scientiâ beatâ.

Probatur breviter: Vel illi actus specie, vel solo numero inter se differrent? Neutrum dici potest: Ergo in voluntate Christi reperiri non possunt. Major patet, Minor etiam quoad primam partem manifesta videtur: cum enim charitas sit virtus unius speciei atomæ, sicut fides & spes, non potest elicere duos actus specie diversos. Probatur verò quantum ad secundam: cum præter communem Aristotelis & D. Thomæ doctrinam, duo accidentia solo numero distincta, non possunt simul esse in eodem subiecto, si duo illi amores erga Deum solo numero inter se differrent, non possent simul in eadem Christi voluntate existere; & ita oporteret quòd pro illo instanti, vel tempore, quo anima Christi diligebat Deum ut cognitum per scientiam infusam, cessaret ab actu dilectionis beatificæ, qui sequitur scientiam beatam, quod tamen admitti non potest, cum amor beatificus, sicut & clara Dei visio, ad quam sequitur, & a qua regulatur, aternitate participata mensuretur.

Huic argumento, quod præcipuum & fundamentale est, dupliciter occurrunt Adversarij: Aliqui enim respondent, duos illos amores specie inter se differre, amor enim (inquiunt) non à bonitate objecti, sed ab illius apprehensione specificatur, ut à ratione formali, unde cum scientia infusa & beatâ specie inter se differant, amores etiam his cognitionibus regulati distinguuntur specie, quamvis eandem Dei bonitatem proponant. Alij verò dicunt, duplicem illum amorem solo numero esse distinctum quando verò dicitur duo accidentia solo numero diversa non posse simul in eodem subiecto existere, hoc intelligendum esse de accidentibus absolutis, aliter non, non autem de respectivis, quæ terminum extrinsecum, vel objectum respiciunt; quia ex terminis, quos respiciunt, potest desumi diversitas eorum individualis, etiam si ex subiecto non distinguantur numero.

Verum utraque responsio facile potest confutari. Prima quidem tripliciter: In primis enim ex illa sequitur, charitatem Christi non esse unicam specie habitum, cum implicet unum speciem habitum elicere actus specie diversos, ut supra arguebamus.

Secundò, Apprehensio non est formale objectum nec quod, nec quo voluntatis, sed bonitas ipsa apprehensa & voluntati proposita, ut docet Philosophi in physica, & colligitur ex D. Thoma qu. 25. de verit. ar. 1. ad 6. ubi docet diversitatem apprehensionum per accidens se habere ad variandos appetitus, nisi eam sequatur diversitas apprehensorum, hoc est bonitatum appetibilium: Ergo stante eadem bonitate specificè

cet regula, hoc est apprehensiones, variantur, A non diversificantur actus voluntatis specie: Sed per scientiam beatam & per scientiam infusam eadem bonitas divina voluntati Christi proponitur: Ergo licet cognitiones istæ inter se specie distinguantur, actus tamen charitatis regulati per illas specie diversi non erunt.

Tercio, Amor per fidem regulatus non distinguitur specificè ab amore regulato per beatificam visionem: Ergo pariter scientia beata & infusa non inducent diversitatem specificam in amores ab ipsis regulatos. Consequentia evidens est, magis enim distant fides & visio beata, quam scientia beata & infusa. Antecedens vero docetur expressè à D. Thoma 1. 2. qu. 67. art. 2. ubi sic ait: *Charitas non habet pro objecto cognitionem, sic enim non esset eadem in patria, sed haberet pro objecto rem cognitam, quæ est eadem, scilicet ipsam Deum.* Ergo juxta D. Thomam amor fide regulatus non differt specie ab amore regulato per visionem beatificam.

Ratio etiam id suadet, Tum quia eadem bonitas per utramque cognitionem proponitur, Tum etiam, quia alias charitas viæ non maneret in patria, sed destrueretur, contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam exstinguitur.*

Secunda etiam responsio eadem facilitate rejici potest, quæ præcedens: Nam ratio quare duo accidentia solo numero distincta nequeant simul esse in eodem subiecto, est, quia unitas & distinctio numerica, cum non formales, sed materiales sint, non à forma, sed à materia sumuntur, & subiectum accidentium gerit vices materię: At hæc ratio pari efficacia militat in accidentibus respectivis, ac in absolutis; terminus enim inspectus ab accidente ut forma comparatur ad illud, & consequenter distinctionem solum numericam præstare nequit: Ergo non solum duo accidentia absoluta, sed nec etiam duo respectiva solo numero distincta simul in eodem subiecto esse possunt.

Secundo, Dato quod accidentia respectiva solo numero distincta possint simul eidem subiecto inesse, hoc tamen solum contingeret quando cum unitate subiecti essent termini, vel objecta distincta: At in casu præsentis non dantur diversa objecta, sed unum & idem est quod per actum liberum & necessarium attingitur, nempe eadem divina bonitas per utramque scientiam proposita: Ergo dato quod duo accidentia solo numero distincta possint esse simul in eodem subiecto, quando respectiva sunt, non sequitur posse Deum simul diligere ab anima Christi per diversos amores, quorum unus per scientiam beatam, alter per infusam regulatus sit.

Tercio, juxta D. Thomam infra qu. 35. art. 5. pater non pluribus, sed unâ tantum relatione ad plures filios refertur; eo quod si plures relationes essent, solo numero different; duo autem accidentia solo numero distincta in eodem subiecto esse nequeunt: Sed relatio est accidens respectivum: Ergo quando dicitur plura accidentia solo numero distincta non posse simul esse in eodem subiecto, hoc non solum de accidentibus absolutis, sed etiam de respectivis intelligendum est.

Deo tertio: Christus meruit per actum charitatis beatificæ, non solum prout per talem actum bona extrinseca, gloriam nimirum & honorem extrinsecum Deo volebat, sed etiam quatenus terminabatur ad bonitatem divinam,

Tom. II.

non ut est ratio diligendi perfectiones necessarias Dei, sed ut est ratio diligendi creaturas.

Probat conclusio ratione fundamentali: 49.

Unus actus charitatis beatificæ Christi potuit simul terminari ad perfectiones necessarias Dei, ad gloriam & honorem extrinsecum, & ad Dei bonitatem est, ut ratio diligendi creaturas: Sed actus iste, etsi necessarius fuerit prout Deo perfectiones necessarias volebat, sub alijs tamen rationibus potuit esse liber: Ergo & Christus mereri potuit per eundem actum, non solum ut bona extrinseca Dei appetentem, sed etiam ut terminatum ad bonitatem divinam ut est ratio diligendi creaturas. Major videtur certa, tum quia ea, quæ possunt per modum objecti primarij & secundarij comparari, per eundem actum possunt attingi: Sed omnia enumerata ita inter se comparantur, ut divina bonitas prout est ratio diligendi perfectiones necessarias Dei, sit objectum primarium dilectionis beatificæ; ut est vero ratio diligendi creaturas & bona Deo extrinseca, objectum illius secundarium: Ergo per eundem actum charitatis beatificæ Christi possunt attingi. Tum etiam quia Beatus ex vi visionis beatificæ non solum attingit Deum, sed etiam creaturas possibiles, existentes, & futuras. Deumque ut est ratio cognitionis illarum, ut in Tract. de visione beatifica ostensum est: Ergo Christus potuit ex vi dilectionis beatificæ non solum perfectiones intrinsecas Dei attingere, sed etiam gloriam & honorem extrinsecum, creaturas existentes, Deumque seu bonitatem divinam, ut est ratio in exercitio illas diligendi.

Minor verò, in qua videtur posita difficultas, suadet multipliciter. In primis enim licet eidem actui respectu ejusdem objecti secundum eandem rationem convenire nequeant necessitas & libertas; respectu tamen diversorum objectorum, vel ejusdem secundum diversas rationes, nulla videtur esse repugnantia: Ergo licet actus charitatis beatificæ Christi, ut terminatus ad bonitatem divinam, quatenus est ratio diligendi perfectiones necessarias Dei, fuerit necessarius, potuit tamen esse liber, in quantum ad eandem bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas terminabatur.

Secundo, Non minus distinguuntur intuitivum & abstractivum in actibus intellectus, quam liberum & necessarium in actibus voluntatis: Sed potest una & eadem notitia esse intuitiva, & abstractiva respectu diversorum objectorum, ut constat in visione beatificæ, quæ est notitia intuitiva Dei, & abstractiva creaturarum possibilem: Ergo pariter unus actus voluntatis esse poterit necessarius & liber respectu diversorum objectorum, vel respectu ejusdem secundum diversas rationes.

Tercio, Ratio practici & speculativi non minus, imò magis distinguuntur in habitibus intellectus, quam ratio liberi & necessarij in actibus voluntatis: Sed possunt in eodem habitu intellectus practicum & speculativum adunari, ut constat in nostra Theologia, quæ speculativa & practica est: Ergo etiam libertas & necessitas poterunt in eodem actu voluntatis reperiri.

Denique, Major est necessitas in actu increato dilectionis infinite, quo Deus seipsum diligit, quam sit in actu creato dilectionis beatificæ, quo anima Christi diligebat Deum: Sed non obstat quod dilectio Dei sit necessaria, prout terminatur ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi

Nnnn 2 gendi

gendiperfectiones necessarias Dei; libera est A
propter terminatur ad eandem bonitatem, ut est
ratio diligendi creaturas: Ergo etiam dilectio
beatifica animæ Christi secundum diversas illas
terminationes simul necessaria & libera esse po-
test. Unde

50. Ad rationem dubitandi initio, propositam
respondeo concessa Majori, distinguendo Minore-
rem: Actus charitatis quo Christus diligebat
Deum non erat liber, ut terminatus ad bonita-
tem divinam, quatenus est ratio diligendi Deum
& illius perfectiones necessarias, concedo
Minorem. Ut terminatus ad bonitatem divinam,
inquantum est ratio diligendi creaturas, & vo-
lendi Deo bona extrinseca, nego Minorem &
Consequentiam. Dilectio ergo beatifica animæ
Christi considerari potest tripliciter, nempe se-
cundum entitatem, secundum terminationem
necessariam ad Deum, seu ad bonitatem divi-
nam, ut est ratio diligendi perfectiones Deo in-
trinsecas & necessarias; & secundum terminati-
onem ad creaturas, & ad bonitatem divinam
prout est ratio diligendi illas. Quoad entitatem
& primam terminationem necessario existit,
nec est in potentia ad non existendum; sub se-
cunda vero terminatione libera est, & potest non
existere. Nec opponitur contradictorie, aut
contrarie necessitas essendi entitativa & sub una
terminatione, & potentia ad non essendum ter-
minative sub alia terminatione, ut constat in ac-
tu libero voluntatis divinæ, qui sub ratione en-
titatis & terminationis ad Deum necessarius est,
nec potest non esse, sub ratione vero terminati-
onis ad creaturas liber est, & potest, vel potuit
in Deo non esse, ut in Tract. de voluntate Dei fu-
se declaravimus. Unde dilectio beatifica animæ
Christi, est quadam expressio & participatio di-
vine amoris, qui secundum diversas terminatio-
nes simul liber & necessarius est.

Disput. 3.
art. 2.

51. Dices primo: Hæc est differentia inter liber-
tatem divinam & libertatem creatam, quod illa
consistit in indifferentia principii non ad entita-
tem actus, sed ad solam terminationem; liber-
tas autem creatam, in indifferentia principii ad
actualitatem actus: Ergo de ratione actus liberi
creati, est taliter esse quod possit non esse, non
solum terminative, sed etiam entitativè.

Respondeo negando Antecedens universali-
ter intellectum, nam licet aliquando libertas
voluntatis create sit per indifferentiam ad enti-
tatem actus, non tamen hoc semper habet: sem-
per tamen à libertate increata sufficienter di-
stinguitur, per hoc quod voluntas divina actum
liberum sibi entitativè identificat, voluntas au-
tem create nunquam cum actu libero entitati-
vè identificatur; cum enim elicit actum ex pri-
mario conceptu liberum, realiter ab illo distin-
guitur; & quando se exercet liberè per actum
per se primò necessarium, & liberum secunda-
riò, etiam entitativè distinguitur ab illo, cum
distinguitur realiter ab entitate actus necessa-
rii, cum quo terminatio libera identificata in-
venitur.

52. Dices secundo: Quod competit actui volun-
tatis divinæ, quia infinitus est, non potest actui
finito convenire: Sed quod actus voluntatis di-
vinæ gaudeat duplici terminatione, unâ liberâ,
alterâ necessariâ, habet ratione infinitatis: Ergo
hæc duplex terminatio, cum unitate entitatis,
dilectioni beatificæ animæ Christi competere
nequit.

Respondeo negando Minorem, nam quod
actus divinæ voluntatis ad duo objecta termina-
tur, nempe ad Deum & creaturas, attingit
bonitatem divinam, ut est ratio diligendi Deum
& prout est ratio diligendi bona creata, non
convenit ipsi ex infinitate, cum totum hoc re-
riatur in ordine intelligibili in visione beatifica,
quæ simul ad Deum & ad creaturas ut
ad duo objecta inter se subordinata terminatur.
Similiter quod actus voluntatis divinæ terzò
necessario in bonitatem Dei, ut est ratio ipsi vo-
lendi perfectiones intrinsecas; liberè verò in ean-
dem bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas,
vel ipsi appetendi bona extrinseca, non pro-
venit ex infinitate talis actus, sed ex eo quod per-
fectiones intrinsecæ necessarias habent con-
nexionem cum Deo, bona autem creata, & ipsi
extrinseca, cum ipso non conneuntur neces-
sario. Infinitas ergo in tali actu solum requiritur
ad hoc ut realiter identificetur cum voluntate
divina, unde repugnat actum creatum dilectio-
nis beatificæ animæ Christi, cum ejus voluntas
identificari realiter.

Ex his solummodo manet aliud argumentum, quod
contra ultimam conclusionem fieri solet, & potest
sub hac forma breviter proponi. Dilectio quæ
Christus meruit, ipsi ut viatori conveniebat:
Sed dilectio regulata scientiâ beatâ, non erat
Christi ut viatoris: Ergo per illam non meruit.
Major patet, Minor probatur. Dilectio regulata
scientiâ beatâ, conveniebat Christo mediâ vi-
sione beatâ: Ergo conveniebat ipsi ut clarè viden-
ti: Ergo non ut viatori, sed ut comprehensori.

Huic ergo argumento facile respondetur ex
dictis, negando scilicet Minorem, & ad ejus
probationem, distinguendo Antecedens. Dilectio
regulata scientiâ beatâ conveniebat Christo me-
diâ visione beatâ, ut proponente Deum tanquàm
diligendum necessario, & secundum perfectio-
nes necessarias, nego Antecedens. Ut proponen-
te Deum ut liberè diligendum, & prout est ra-
tio diligendi creaturas, concedo Antecedens, &
sub eadem distinctione primi Consequentis, ne-
go secundam Consequentiam, nam licet actus
priori modo per visionem regulatus sit, Christi
non ut viatoris, sed ut comprehensoris; ille ta-
men qui secundo modo regulatur per visionem,
convenit Christo ut viatori.

ARTICULUS III.

*Verum Christus meruerit adimplendo præceptum Pa-
tris de subeunda morte pro salute generis
humani?*

Ratio dubitandi est, quia videtur quod Chri-
stus in adimplerione talis præcepti non fue-
rit liber; libertas enim in obedientia præcepti
requirit potentiam expeditam ad non obedi-
endum: Sed Christus non poterat non obedire
Patri, cum esset ab intrinseco impeccabilis, ut
disput. præcedenti ostendimus: Ergo nec libere
tale præceptum adimplere, subindeque nec me-
reri in ejus adimplerione, cum libertas sit condi-
tio requisita ad meritum.

§. I.

*Varij modi dicendi, seu conciliandi libertatem Christi
cum ejus impeccabilitate, referuntur ac
refelluntur.*

UT ab hac difficultate Theologi sese expedi-
ant, varios conciliandi libertatem Christi
cum

cum eius impeccabilitate modos ex cogitarunt. A
Primum allerit Christo imposuit non fuisse præ-
ceptum illud, ipsum obligans ad culpam, sed
solum ei fuisse insinuatam voluntatem Dei quæ
decreverat ipsum pro salute hominum mortem
subiturum, quæ voluntas rationem præcepti ad
culpam obligantis non habebat, ac proinde licet
Christus ab interfecto esset impeccabilis, potuit
tamen mortem non subire, & illam non acce-
ptare. Ita Lorca hic disput. 73. pro se referens
Albertum magnum, Paludanum, Dionysium
Cardianum, & alios.

Sed hic dicendi modus displicet alijs Theo-
logis, & repugnat S. Thomæ infra qu. 47. art. 2.
ad 1. ubi docet Christo fuisse à Patre imposuit
præceptum moriendi, & probat ex illo Joan. 10.
Hoc mandatum accepi à Patre meo, scilicet ponere
animam, & ex illo Joan. 24. Sicut mandatum
dedit mihi Pater, sic facio.

Deinde, Ut idem S. Doctor in corpore ejus-
dem articuli docet, Christus ex obedientia ad
Patrem mortuus est, constatque ex illo ad Ro-
man. 8. Sicut per unius inobedientiam peccatores con-
firmati sunt multi, ita per unius obedientiam, iusti con-
firmati sunt multi. Et ex illo ad Philip. 2. Humilia-
vit semetipsum factus obediens usque ad mortem; un-
de bellè ait D. Bernardus, quod Christus ne per-
deret obedientiam, perdidit vitam. At juxta D.
Thomam 2.2. qu. 104. art. 2. objectum formale
obedientiae est præceptum superioris: Ergo
Christus verum & proprium præceptum à Patre
habuit moriendi pro salute generis humani.

Respondet Lorca: objectum formale obe-
dientiae esse præceptum strictè vel largè acce-
ptum, pro voluntate scilicet superioris insinua-
ta, ad culpam non obligante: unde ex eo quod
Christus ex obedientia mortuus fuerit, non col-
ligi fuisse ipsi imposuit à Patre strictum præce-
ptum moriendi.

Sed contra primò: Obedientia & inobedi-
entia dicuntur in ordine ad idem convertivè & a-
versivè: Sed inobedientia propria non dicitur
nisi per aversionem à præcepto rigorofo: Ergo
obedientia propria non sumitur nisi ex ordine
convertivo ad præceptum superioris, quod pro-
priè præceptum sit.

Secundò, In primo testimonio comparatur
obedientia Christi cum inobedientia Adami:
Sed hæc sumpta fuit ex aversione ad præceptum
strictum Dei: Ergo obedientia Christi in subje-
ctiones ad præceptum strictum & proprium po-
sita fuit.

Tertiò, Objectum obedientiae est voluntas
superioris, ut à non superiori distinguitur: At in
voluntate simplici non differt superior à non su-
periori, sed solum in voluntate obligante, quæ
propriè præceptum est: quæ qualis enim & velle &
consulere potest, atque illius voluntati & consi-
lio potest ipsi æqualis conformari: Ergo sola vo-
luntas obligans, & propriè præceptiva, est obje-
ctum obedientiae.

Potest etiam hic dicendi modus confutari,
destruendo præceptum ejus fundamentum: Præ-
ceptum enim motivum quo ducitur Lorca ad
negandum Christo strictum & rigorosum de mor-
te pro salute hominum subeunda præceptum, à
Patre fuisse imposuit, est quia existimat tale
præceptum libertatem mortis Christi destruere:
Sed hoc repugnat: Ergo &c. Minor probatur:
Præceptum non potest propriam materiam de-
struere, alias seipsum destrueret, quod est im-

possibile: Sed materia propria præcepti positivi
est actus liber, tum quia materia præcepti est ob-
jectum obedientiae: obedientia autem solum
potest in actus liberos inclinare, nemo enim in
necessariis obedit. Tum etiam, quia actus ne-
cessarius nequit præcipi: unde motus cordis, di-
gestio naturalis, visio beatifica, & alij actus ne-
cessarii, non sunt materia præcepti, quia in no-
stra potestate libera constituti non sunt: Ergo
præceptum non potest libertatem actionis præ-
ceptæ destruere.

Secundus modus componendi libertatem 62.
Christi in adimplendo præcepto moriendi cum
illius impeccabilitate, allerit quod licet Chri-
stus præsupposito tali præcepto non potuerit
non mori, hæc tamen moriendi necessitas, non
fuit antecedens, sed consequens libertatem
Christi, quia libere postulavit à Patre hoc præce-
ptum sibi imponi, & libere illud acceptavit; ne-
cessitas autem consequens non præjudicat li-
bertati. Ita quidam quos suppresso nomine re-
fert Vincentius de gratia Christi paginâ 430.
quos sequuntur Cabrera & Prudentius.

Verum præterquam quod nusquam in Scri-
pturis aut Patribus legitur quod Christus à Pa-
tre petierit sibi tale præceptum imponi, sed so-
lum quod libere illud acceptavit & implevit,
impugnatur insuper ille modus dicendi. Primò
quia negotium nostræ redemptionis obtente per
mortem Christi præceptam, principaliter redu-
cit ad humanam Christi voluntatem, quam ad
voluntatem divinam; cum Christus voluntate
humanâ postulaverit præceptum, ex quo ortum
habuit ut pro nobis moreretur.

Secundò, Obedientia Christi debuit esse per-
fectissima: At eò perfectior est obedientia, quò
præceptum minus dependet à subditi voluntate:
Ergo præceptum moriendi non duxit originem
ex humana Christi voluntate, nec in sui obliga-
tione fuit illius acceptionis subiectum.

Tertiò, Apostolus ad Roman. 8. Dei charita-
tem erga homines commendat, ex eo quod
proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis
omnibus tradidit illum: At si præceptum mo-
riendi fuisset libere postulatam à Christo, aut
illius voluntati quoad sui obligationem subie-
ctum, non esset tanta cum proprietate dictum,
Deum Christo ut homini non pepercisse, sed
potius dicendum foret, ipsum sibi non pepercisse,
qui voluntarie petiit sibi præceptum morien-
di pro hominum salute imponi: Ergo tale præ-
ceptum nec præcessit libera postulatio Christi,
nec illud dependentiam habuit à libera ejus ac-
ceptione.

Denique, Ut modus ille dicendi esset verus, &
aptus ad conciliandam libertatem Christi cum
ejus impeccabilitate, deberet posse extendi ad
præcepta naturalia, utpote cum in eorum obser-
vantia æquè concilianda sit Christi libertas cum
summa ipsius impeccabilitate, ac in observantia
illius quod erat specialiter de morte subeunda:
Sed manifestum est, ad defendendum Christi li-
bertatem in adimplendis naturæ præceptis, non
posse dari recursum ad aliquam ipsius voluntatē
antecedentem, ea sibi imponi postulantem, aut
libere ea acceptantem, cum eorum imposuitio, eo
ipso quod sit naturalis, præveniat omnem actum
voluntatis hominis cui imponitur; & cum præ-
cepta legis naturæ, naturaliter obligent ad sui
observantiam, atque adeo omnino independen-
ter à libera hominum acceptione: Ergo &c.

67. Tertius modus conciliandi in Christo circa præceptum mortis ipsius libertatem cum omnimoda impeccabilitate, est ille quem ex Recentioribus Baëla & Delugo proposuerunt, asserentes Christum Dominum, etiam posito præcepto de morte subeunda, obligante ad acceptationem, nihilominus liberè mortuum fuisse, quia (inquiunt) cum præceptum illud non obligaret ad moriendum pro illo instanti in quo fuit impositum, poterat Christus, antequam instaret tempus illud adimplendi, petere & impetrare à Patre suo dispensationem, vel commutationem, & consequenter mortem suam impedire.

68. Verùm præterquam quod hic modus dicendi non minus inutilis est ac præcedens, ad conciliandam Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, in observantia præceptorum quæ sunt de jure naturæ, cum in talia præcepta non cadat divina dispensatio, facile potest confutari: nam Christus cognoscebat perfectè in verbo per scientiam beatam, voluntatem efficacem Dei de morte pro salute generis humani subeunda, subindeq; clarè videbat voluntatem efficacem Dei, ut non peteret ab ipso dispensationem præcepti moriendi pro salute generis humani: Sed supposità cognitione talis voluntatis, non poterat Christus, se illi non conformare: Ergo supposità tali cognitione, non poterat petere, efficaciter saltem & absolute, dispensationem in præcepto moriendi sibi imposito. Major patet, Minor probatur. Velle efficaciter & absolute oppositum voluntatis efficacis divinæ, alicui evidentè notæ, est actus omnino otiosus, imprudens, & temerarius, subindeque peccaminosus, ut docent Theologi 1.2. qu. 19. art. 9. & 10. ex quo inferunt id non posse convenire beatis: Sed actus peccaminosus Christo repugnabat cum esset ab intrinseco impeccabilis: Ergo repugnabat pariter ipsius voluntate efficaci & absolute petere velle à Patre dispensationem præcepti moriendi sibi impositi.

69. Confirmatur: Licet Christus non haberet præceptum de non petenda efficaciter dispensatione præcepti moriendi pro salute generis humani, habebat tamen de illa petenda consiliū, cum hoc esset melius & perfectius: At Christus non solum erat impotens ad transgredienda præcepta, sed etiam illi repugnabat non amplecti Dei consilia: Ergo non poterat petere dispensationem præcepti de morte subeunda pro salute hominum. Major patet, Minor verò in qua est difficultas, & quam plures ex Recentioribus negant, probatur ratione desumptà ex summa Christi sanctitate. Christo namque ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter non solum malitia moralis, sed etiam malitia imperfectio: At in recessu à consiliis, est malitia moralis non sit, est tamen imperfectio moralis: Ergo essentialiter Christo repugnat à consiliis discedere. Major certa videtur, etenim Christo ratione unionis hypostaticæ concedi debet maxima sanctitas, & rectitudo seu bonitas moralis possibilis: major autem est sanctitas, seu bonitas ac rectitudo moralis, quæ non solum culpam tam mortalem quam venialem, sed etiam omnem moralem imperfectionem excludit, quam illa quæ talem imperfectionem admittit: Ergo Christo ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter non solum malitia moralis, sed etiam malitia imperfectio. Unde Theologi communiter docent, a-

ctus intrinsece malos quamvis à malitia extrinsecos, ob ignorantiam, vel defectum libertatis, pugnant essentialiter humanitati Verbo unitæ, quia semper retinent indecentiam moralem, quamvis à malitia excusentur.

Minor verò ostenditur primò, in eodem exemplo insistendo: Actus enim intrinsece moraliter malus, est à malitia moralis exculens, non tamen est liber ab indecentia moralis, & consequens est imperfectio moraliter, nam moralis indecentia est malitia imperfectio: Ergo pariter consiliorum transgressio, quamvis moraliter non sit, non tamen liberatur à moralis indecentia, nec consequenter ab imperfectio-

moralis. Secundò, Subditum recedere à mandato simpliciter superioris, hoc est à voluntate superiori insinuata de aliquo opere efficiendo, sine intentione obligandi ad culpam mortalem, aut venialem, est peccatum non sit, est tamen actus moraliter imperfectus: Ergo pariter recedere à consiliis divinis, & à majori beneplacito Dei, quamvis peccatum non sit, est tamen actus imperfectus moraliter.

Tertiò, Transgressio legis purè penaliter, hoc est non ad culpam, sed ad penam tantum obligantis, quamvis non sit mala malitia moraliter, maliter, est tamen imperfectio imperfectione moralis; unde si Christus ut homo talis legis fuisset capax, repugnasset ipsam illam transgredi, ut fatentur omnes Theologi, aliàs potuisset efficere aliquid penæ & reprehensione dignum, quod pias aures offendit: Ergo pariter recedere à consiliis divinis, & à majori beneplacito Dei, quamvis non sit peccatum, nec malum malitia moralis formaliter, est tamen aliquid moraliter imperfectum, & moraliter indecens, & per consequens summæ Christi sanctitati repugnans.

§. II.

Resolvitur alius dicendi modus, qui apud Recentiores communis est.

Quartus modus concordie libertatis Christi cum omnimoda ipsius impeccabilitate in subeunda morte, est Valentis, Vazquez, Lessii, Moncæ, Theophili Raynaudi, & aliorum, qui dicunt idèò Christum, non obstat omnimodà suà impeccabilitate, liberè præcepto de morte subeunda implevisse, quia licet supposito tali præcepto non potuerit velle non mori, subindeque non fuerit liber circa substantiam suæ mortis, fuit tamen indifferens & liber ad moriendum ex hoc vel illo motivo, fortitudinis nimirum, vel patientiæ, vel misericordiæ pro hoc vel illo tempore, actu intentio, vel remissio: quia (inquiunt) præceptum de morte subeunda ad illas circumstantias minimè se extendebat; idque ex eo probant, quod de tali præcepto affirmativo non aliter loquendum nobis sit, quam de illis quæ Deus nobis imponit: clarum autem est (inquiunt) nullum nobis imponi præceptum affirmativum de re aliqua faciendi, cum determinato affectu & intentionis gradu.

Sed in primis hic dicendi modus aperte repugnare videtur Scripturæ, quæ variis in locis innuat mortem Christi fuisse illi præceptam, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias temporis, & motivi. Quoad tempus

quidem, id aperte colligitur ex verbis illis A
Christi Luca 12. Baptismo habeo baptizari, & quo-
modo coram usque dum perficiatur: docet enim
Christus hac formâ loquendi, se angere ex mora
sive dilatione suæ mortis, ut observat Glossa
interlinearis: non fuisset autem cur Christus an-
geretur de dilatione suæ mortis, si ejus tempus
non fuisset à Patre determinatum, sed suæ liber-
tati relictum. Quoad motivum verò, probatur
ex illo ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis,*
misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege erant re-
deret: hinc enim habetur, Christo mortem
fuisse præceptam, non utcumque, sed ut suâ mor-
te nos redimeret, atque adeo ut ex charitate
erga nos subeundam. Item Joan. 24. Christus
dicebat: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:*
quibus verbis denotatur, non solum substan-
tiam operis, sed etiam modum ex circumstan-
tiis desumptum, sub præcepto Patris fuisse. De-
mum Marth. 26. Christus sic Patrem alloqui-
tur: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu:* quid
autem illa formula verborum significat, nisi rei
præceptæ circumstantias? Unde in id unum con-
spiciunt Evangelistæ, ut perfectam voluntatis
Christi cum paterna consensionem, quoad res
voluntas, & rationem volendi, quoad substan-
tiam actûs, & circumstantias referrent; atque
hoc absolute obedientiæ exemplo nos doce-
rent, quâ ratione divinis præceptis parere nos
opoteret.

Secundo, Christus mortuus est ex perfectissi-
ma obedientia, ut supra ostensum est: Sed perfe-
ctior est obedientia quæ opus quoad substan-
tiam & omnes circumstantias præceptum suppo-
nit, quam quæ solum supponit substantiam ope-
ris præceptam: Ergo præceptum moriendi
Christo à Patre impositum, non solum ad sub-
stantiam mortis, sed etiam ad omnes ejus cir-
cumstantias se extendebat.

Si dicas concedendam esse Christo perfectissi-
mam obedientiam, conservatâ libertate in mo-
riendo: hanc autem servari non posse, si mors
supponatur præcepta quoad substantiam & cir-
cumstantias. In contrarium obstat quæ supra
diximus, primum dicendi modum confutando,
nimirum præceptum habens pro materia actum
liberum, non posse illius libertatem destruere:
Ergo etsi omnes mortis Christi circumstantias
præscribat, libertatem ejus in acceptanda morte
non auferet, & consequenter ob inconvenientem
libertatis auferendæ, non est Christo neganda
illa major obedientiæ perfectio.

Tertio ex doctrina Adversariorum sequitur,
Christum non meruisse nostram redemptionem,
& sui nominis exaltationem, ex eo præ-
cisè quod mortuus est, sed solum ex eo quod
tali vel tali affectu, hoc vel illo motivo, tali
modo, aut tali loco, mortem sustinuit: Sed hoc
est falsum, & Scripturæ repugnans, dicitur e-
nim Isaï 53. *Si posuerit pro peccato animam suam,*
videbit semen longævum &c. Et ad Philippenses
2. *Factus obediens usque ad mortem, propter quod ex-*
altavit illum. Ubi præmium redemptionis ho-
minum, & exaltationis nominis Christi, non
circumstantiis, sed ipsi substantiæ mortis ejus
tribuitur: Ergo &c. Sequela Majoris proba-
tur: Ea ratione actus est meritorius, quâ liber,
cum libertas sit fundamentum meriti: Sed juxta
Adversarios mors Christi non fuit libera, quan-
tum ad substantiam (quia sub hac ratione fuit à
Deo præcepta, & juxta illos, præceptum & li-

bertas, in eandem rationem cadere non possunt)
sed solum quoad circumstantias, quæ sub præ-
cepto non fuerunt, ut illi existimant: Ergo ju-
xta doctrinam Adversariorum, Christus non
meruit nostram redemptionem, & sui nominis
exaltationem, ex eo præcipue quod mortuus
est, sed solum ex eo quod tali vel tali affectu,
tali modo, vel loco, aut tempore mortem su-
stinuit.

Confirmatur: Homo condemnatus ad mor- 75.
tem necessariò sustinendam, cujus electioni &
arbitrio modus mortis esset relictus, licet posset
dici cum proprietate liberè & meritorie mor-
tem sustinere, quoad modum determinatum
moriendi, non tamen posset cum proprietate
dici absolute mori liberè & meritorie: Ergo si
Christus fuit necessitatus ad moriendum abso-
lute, & solum fuit liber in morte quoad circun-
stantias, etsi possit proprie dici liberè & meri-
torie mortuus hoc determinato tempore, & ex
eo determinato motivo, & sic de aliis circun-
stantiis, non tamen potest cum proprietate dici
sustinuisse mortem liberè, aut quia sustinuit
mortem absolute meruisse.

Confirmatur amplius: Voluntas necessitata 76.
ad amorem Dei verbi gratiâ, & solum libera ad
amandum illum ex hoc vel illo motivo, non di-
ceretur proprie mereri, quia diligeret Deum,
sed quia diligeret ex hoc vel illo motivo: Ergo
si voluntas Christi fuit necessitata ad mortem
acceptandam, & solum fuit libera ad illam acce-
ptandam ex hoc vel illo motivo, non poterit
proprie dici meruisse, quia mortem acce-
ptavit, sed solum quia illam acceptavit ex
hoc vel illo motivo, & sub hac vel illa circun-
stantia.

Aliud etiam sequitur absurdum ex Adversa- 77.
riorum doctrina: Si enim Christus non fuit li-
ber circa substantiam suæ mortis, quæ erat illi
præcepta, sed solum circa circumstantias, quæ
non cadebant sub præcepto, sequitur actum
obedientiæ Christi in acceptanda morte, for-
maliter ut talem, nullo modo fuisse merito-
rium: Sed hoc non potest dici: Ergo &c. Mi-
nor est certa, dicit enim Apostolus ad Roma-
nos 3. *quod sicut per inobedientiam unius (scilicet*
Adami) multi constituti sunt peccatores, ita per
obedientiam alterius (scilicet Christi) multi con-
stituti sunt iusti. Quæ doctrina & comparatio ut
verificetur, necesse est quod obedientia Christi,
formaliter quâ talis, fuerit meritoria nostræ ju-
stitiæ, sicut inobedientia Adami fuit meritoria
privationis gratiæ, in qua consistit peccatum
originale. Sequela verò Majoris probatur:
Cum in doctrina Adversariorum, sola substan-
tia mortis Christi fuerit ei à Deo præcepta, non
verò ejus circumstantiæ, actus obedientiæ ejus,
formaliter quâ talis, non respiciebat nisi sub-
stantiam ipsam mortis: Atqui ut respiciens præ-
cisè substantiam mortis non fuit juxta illos Au-
thores liber, sed solum quatenus respiciebat
circumstantias: Ergo in eorum doctrina actus o-
bedientiæ Christi in acceptanda sua morte, for-
maliter ut erat actus obedientiæ, nullo modo
fuit meritorius.

Deniq; modus dicendi Adversariorum impu- 78.
gnari potest destruendo præcipuè illorum fun-
damentum: Motivum enim præcipuum quo illi
ducuntur ad asserendum præceptum moriendi
quod fuit Christo impositum, se extendere dun-
taxat ad substantiam mortis, non verò ad ejus
circun-

circumstantias, est quia si non solum substantia, sed etiam circumstantia mortis Christi caderet sub præcepto, illa nullo modo esset libera: nec per consequens meritoria: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur primò, quia ut supra dicebamus, præceptum habens pro materia actum liberum, non potest illius libertatem destruere, alioquin seipsum destrueret: Ergo et si præceptum moriendi Christo à Patre impositum, omnes mortis circumstantias præscribat, libertatem tamen Christi in acceptanda morte non auferet.

79. Secundò, negari non potest mortem Christi non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes ejus circumstantias, fuisse à Deo efficaciter volitam, & ab ipso prædefinitam; & tamen hoc non obstante, illam fuisse liberam, & meritoriam: Ergo similiter, quamvis non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias præcepta fuerit, nihilominus libera & meritoria fuit. Consequentia patet, cum enim Christus per scientiam beatam illam Dei voluntatem & prædefinitionem ad omnes circumstantias suæ mortis sese extendentem, clare cognosceret, non minus impotens erat ad illi repugnandum, quam ad non implendum præceptum moriendi sibi à Patre impositum; nam licet se conformare tali voluntati, non esset de præcepto stricto & rigoroso, erat tamen de consilio, cum hoc multo melius & perfectius esset: Christus autem, ut supra ostensum est, ratione suæ infinitæ sanctitatis, non poterat non acquiescere consiliis, & à majore Dei beneplacito recedere: Ergo si mors Christi fuit libera & meritoria, non obstante quod non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes ejus circumstantias, fuerit à Deo efficaciter volita, & prædefinita, etiam libera erit & meritoria, quamvis non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias, præcepta fuerit.

80. Antecedens verò probatur primò ex Scriptura, quæ variis in locis aperte docet passionem Christi, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias ejus, fuisse à Deo prædefinitam: nam Actorum 4. illa circumstantia mortis Christi, quod scilicet Herodes & Pilatus convenerint in Jerusalem, dicitur à Deo decreta: *Convenerunt in Civitate ista, adversus puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populo Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum DECREVERUNT fieri.* Proditio Judæ, flagellatio, crucifixio, & sellis potatio, passim in Psalmis prophetantur. Circumstantia etiam temporis notatur Joan. 13. *Sciens Iesus quia venit hora eius* Et cap. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Quæ verba exponens D. Augustinus tract. 104. in Joan. subdit: *Ostendit omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora.* Non ergo credamus hanc horam fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Denique Lucæ 22. ipse Christus dicebat: *Filius hominis secundum quod DEUS FINITUM EST vadit.* Quibus verbis manifestè docet, omnes suas actiones & passiones fuisse à Deo ab æterno præordinatas ac prædefinitas. Unde Leo Papa serm. 7. de passione Domini: *Nulla poterat ratione turbari quod ante æterna secu-*

la, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter PRÆFINITUM. Et sermone 9. *secundum Dominicam Passionis in salutem generis humani ante tempora dispositum, & per multas significationes omnibus retro sæculis nuntiatur.* Constat ergo ex Scriptura & Sanctis Patribus, Passionem Christi, tam quoad substantiam, quam quoad omnes ejus circumstantias, fuisse à Deo absolute & efficaciter suæ voluntatis decreto prædefinitam.

Ratio etiam id suadet: nam divina providentia, cum sit perfectissima, & universalissima, se extendat ad omnia ad quæ se extendit ejus causalitas, attingit actus nostros liberos, non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes illorum circumstantias, formalitates, & modos, ut in Tractatu de voluntate Dei variis rationibus demonstravimus: Ergo cum Deus, fuerit multò perfectior providentiam de actionibus & passionibus, quas Christus dum erat viator in terris elicit, vel sustinuit, (illæ enim erant summi momenti, & infiniti valoris, & ab ipsis salus orbis, & honoris divini reparatio dependebat) quam de nostris operationibus, negari non potest, illas fuisse pariter à Deo prædefinitas, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quoad modum & circumstantias illarum. Idem cum proportionem de præcepto moriendi Christo à Patre imposito dicendum est, illud mirum non solum ad substantiam, sed etiam ad omnes ejus circumstantias se extendisse.

Neque obstat id quod Adversarij opponunt in contrarium: licet enim verum sit, quæ Deus imperat nobis, non præcipi quoad omnes ejus circumstantias, negatur tamen consequentia & paritas de præcepto mortis Christi. Disparitas est, quia cum voluntates nostræ non sint adeò promptæ ad exequendam superioris voluntatem, debent suavia esse quæ nobis imponunt præcepta, atque adeò non obligare quoad omnes circumstantias. Ceterum voluntas Christi, cum è contra esset promptissima ad obediendum Patri in omnibus, debuit obligari ad actum obedientiæ perfectissimum & strictissimum, atque adeò ad actum obedientiæ, tam quoad circumstantias, quam quoad substantiam suæ passionis & mortis.

§. III.

Traditur verus modus dicendi, & conciliandi libertatem Christi cum eius impeccabilitate.

Relictis igitur ac rejectis quatuor præcedentibus modis dicendi, & conciliandi libertatem Christi cum illius impeccabilitate, ut cum qui communis est omnibus Thomistis, tandem stabiliamus & declaremus,

Supponendum primò, quod sicut ad hoc ut voluntas in eliciendo actum amoris sit libera, non requiritur, imò implicat, quod possit conjugere non amorem cum ipso amore (duo enim contradietoria, qualia sunt amor & non amor respectu ejusdem objecti, nequeunt esse simul) sed sufficit quod actualiter amando, habeat simul & retineat potentiam ad non amorem, live ad negationem amoris, divisim ponendam ad amorem: ita similiter ut Christus, non obstante omnimodâ suâ impeccabilitate, & præcepto Patris de morte subeunda, libere dicatur mortuus, non est necesse, imò implicat, facta suppositione omnimodæ ipsius impeccabilitatis, quod

quod poterit conjungere negationem mortis, A
sive hoc quod est velle non mori, cum præcepto
obligante ad mortem; sed sufficit quod volen-
do actualiter mortem sibi præceptam, habuerit
simul & retinuerit potentiam ad negationem
mortis divisa à præcepto ponendam.

Supponendum secundò: quòd licet non mors,
sive negatio mortis, ut divisa à præcepto obliga-
te ad moriendū non est transgressio talis præ-
cepti, sed solum quando illi cōjungitur: ita simili-
ter posse velle non mortē, sive negationē mortis
ut abstrahentem à peccato, non est posse violare
præceptū, subindeque nec posse peccare; sed ad
hoc opus est posse velle non mortem ut conjun-
ctam cum præcepto ad moriendum obligante.

Supponendum tertio: quòd quando Thomi-
stæ conciliare volentes libertatem Christi, circa
mortem ei præceptam, cum omnimoda ipsius
impeccabilitate, dicunt ipsum non potuisse vel-
le non mori in sensu composito, bene tamen in
sensu diviso: sensus hujus doctrinæ non est (ut
perperam eam exponunt omnes ferè Theo-
logi Societatis) quòd Christus non habuerit po-
tentiam ad non moriendum, stantem & com-
positam simul cum præcepto mortis, sed so-
lum ab eo divisa: sive quòd Christus non ha-
buerit potentiam ad non moriendum, quæ in i-
pso fuerit de facto, supposito præcepto mortis,

sed solum quæ in eo extitisset, si ablatum fuisset
præceptum obligans ad mortem: hæc, inquam,
explicatio legitima non est, nec ab ullo Thomi-
stæ unquam intenta, sed ista duntaxat, quòd
nimirum etiam si Christus, supposito omnimodā
suā impeccabilitate, non habuerit talem poten-
tiam stantem simul cum præcepto mortis, quā
posset conjungere cum eo negationem mortis;
bene tamen talem potentiam stantem simul cum
præcepto mortis, quā posset habere negationem
mortis divisa, sive abstrahentem à præcepto.

Unde differentia veri sensus divisi & compositi
Thomistarum, ab eo qui Calvinisticus est, in hoc
consistit, quòd Calvinus dividit potentiam ad nō
moriendum ab ipso præcepto mortis, Thomistæ
verò illam à tali præcepto non separam, sed so-
lū negationem ipsam mortis, ut in Tractatu de
predestinatione, celebrem illam & per antiquam
sensus compositi & divisi distinctionem expo-
nentes, fuisse declaravimus. Hoc fateor satis diffi-
cile intellectu videtur, sed non major est hæc
difficultas, quā in concipiendo quòd omnes
admittere tenentur, si salvare velint libertatem
actuale voluntatis in amando, etiam præscin-
dendo à quocumque præcepto, præmoratione, &
impeccabilitate: nimirum quòd voluntas actua-
liter & liberè amans, eo ipso quòd liberè amet,

retinet talem potentiam stantem simul cū suo a-
more, non quā possit conjungere negationem a-
moris cum ipso amore, sed quā possit eam divide-
re ab amore, sive quā possit habere negationem
amoris abstrahentem ab amore. His politis,

Dico: modus verè conciliandi in Christo circa
præceptum mortis ei à Patre impositum liberta-
tem à necessitate, cum omnimoda ipsius impec-
cabilitate, in eo consistit, quòd licet non potue-
rit Christus velle non mori in sensu composito,
hoc est velle conjungere negationem mortis cū
præcepto obligante ad mortem; bene tamen in
sensu diviso, id est velle negationem mortis, ut
abstractam à præcepto.

Probatur: Juxta hunc modum dicendi stat
Christum Dominum verè potuisse velle mori et

Tem. IV.

iam supposito præcepto ipsum ad mortem obli-
gante, & tamen non potuisse velle transgredi
tale præceptum: Ergo modus ille verè conciliat
circa præceptum mortis Christo impositum, li-
bertatem à necessitate, cum omnimoda impec-
cabilitate. Consequentia patet, ad libertatem e-
nim à necessitate circa præceptum mortis, quò
obligabatur Christus, sufficit quòd non obstante
tali præcepto potuerit verè velle non mori:
ad omnimodam verò impeccabilitatem cir-
ca idem præceptum, nihil amplius requiritur,
quā quòd non potuerit velle illud transgredi.
Antecedens verò probatur: Christum, stante
præcepto quò obligabatur ad mortem, potuisse
nihilominus velle negationem mortis ut abstra-
hentem à tali præcepto, sive ut secundum se præ-
cisè sumptam, est ipsum verè potuisse velle non
mori; sicut voluntatem actualiter amantem, atq;
adeo stante actu amoris posse velle negationem
amoris ut abstrahentem ab amore, est verè ipsā
posse non amare. Præterea eundem Christum
non potuisse velle negationem mortis ut con-
jungendam cum præcepto obligante ad mori-
endum, sed solum ut abstrahentem ab illo, est i-
psū non potuisse transgredi illud præceptum:
Sed juxta modum dicendi in conclusione affi-
gnatum illa duo salvantur, ut constat: Ergo &
Christum potuisse, etiam supposito præcepto de
morte sive unda, velle non mori, & tamen non
potuisse velle transgredi præceptum.

Confirmatur & magis illustratur difficilis il-
la concordia libertatis Christi cum ejus impec-
cabilitate, stante rigorofo præcepto mortis. De
præcepto Dei mortem Christo imperantis eo-
dem ferè modo philosophandum est, ac de ipsi-
us decreto, quò talem mortem ab æterno cum
omnibus ejus circumstantiis prædefinit: præ-
sertim cū præceptum moriendi Christo im-
positum à tali decreto promanaverit, & iterum ejus
executio. Sicut ergo in sententia Thomistarum
divinum decretum ita causas liberas ad agen-
dum determinat, ut nedum substantiam, sed et-
iam modum operum attingat, ita ut cause libe-
ræ faciant quòd Deus vult fieri, & eo modo quò
fieri vult, id est liberè; & ita agant unum, ut pos-
sint agere oppositum, ut fuisse in Tract. de volun-
tate Dei declaravimus. Ita similiter præceptum
moriendi Christo impositum ipsum ad substanti-
am & modum operis moraliter determinavit,
ut ne ipse moreretur eo modo, quò Pater voluit,
scilicet liberè, sive cū potentia non moriendi.
Et sicut etiam in eodem Tract. docuimus, ex ef-
ficaci divinæ voluntatis decreto non sequi neces-
sariò, sed tantum infallibiliter, ipsam operatio-
nem, & hanc solum infallibilitatem esse requi-
sitam ad efficaciam illius. Ita pariter, nunc dici-
mus, quòd ut præceptum moriendi Christo im-
positum esset efficax, satis erat quòd infallibili-
ter mortem Christi inferret. Licet nō necessariò.
Unde tale præceptum infallibiliter mortem in-
ferendo, reddidit Christum impeccabilem; &
non inferendo necessariò, reliquit eum liberum
libertate indifferentiæ.

Videntur hæc omnia fundamentum habere 88.
in ipsa Scriptura sacra, nam Joan. 10. Christus
dicebat: Ego pono animam meam, ut iterum su-
mam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à
me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potesta-
tem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi
à Patre meo. Ubi omnes interpretes per illam
potestatem ponendi animam intelligunt liber-
tatem

Oooo

tatem

tatem indifferentiam, quam habuit Christus moriendo; qui enim habet aliquid in sui potestate, ita facit illud, ut possit non facere. Unde Augustinus I. tract. 19. in Joan. explicans libertatem qua Christus mortuus est, sic ait: *Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exiit, quando voluit? Quis ita cum voluerit, obiit, quomodo cum voluerit, obiit.* Cum verò addit Christus: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, satis innuit, quòd ex vi ipsiusmet præcepti habuit hanc potestatem & indifferentiam, eò quòd Pater ei mortem præcipiendo, volebat ipsum mori libere, live cum potestate non moriendi; atque ita nec fecit Christus, nec potuit facere contra voluntatem Patris, quando potuit non mori, hoc enim erat potius juxta voluntatem Patris: sic igitur fuit liber, & simul impeccabilis, non obstante rigoro præcepto moriendi ipsi à Patre imposto.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

89. **P**RO solutione. objectionum duo breviter præmittenda sunt. Inprimis observanda est distinctio duplicis potentiae: alia enim est potentia consequens, alia antecedens: vel ut quidam Recentior Thomista loquitur, alia est potentia positionis, alia potentia purae possibilitatis. Per illam ita potest aliquid fieri, ut fiat, & ponatur de facto; per istam verò ita fieri potest, ut re vera possibile sit, licet de facto non ponatur: v. g. præmotus ad amorem ita infallibiliter amat, ut tamen possit non amare, & sub tali motione absolutam ad non amandum potentiam retineat, subindeque habet potentiam consequentem, seu positionis respectu amoris; & potentiam antecedentem, seu purae possibilitatis respectu negationis illius.
90. **D.** Thomashujus distinctionis fundamentum præbendum 1.2. quæst. 10. art. 4. ad 3. ait: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quòd voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter, undè non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.* Et 1. ad Annib. dist. 47. quæst. unica art. 1. ad 2. *Quamvis* (inquit) *contrarium ejus, quòd est volitum à Deo, non possit stare cum voluntate divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea &c.* Igitur ex D. Thoma, licet præmotus ad unum, non habeat potentiam positionis ad oppositum, benè tamen potentiam purae possibilitatis. Hæc distinctio, licet coincadat cum distinctione sensus compositi & divisi suprà explicata, videtur tamen clarior, eaque non ita facile possunt abuti Adversarii, sicut alterâ.
91. **S**ecundò ex Alvare suprà qu. 8. disp. 86. notandum est, quòd non obedire, seu non implere præceptum, potest dupliciter accipi. Primò, mere negative, ut importat negationem actus obedientiae, quæ quidem negatio dicitur tam de eo quòd est, quam de eo quòd non est; nam etiam quando nullum est præceptum impositum alicui verè affirmamus quòd ille nò implet præceptum, & isto modo non obedire nullum est peccatum. Secundò modò accipitur privative, seu contrariè, ut importat transgressionem præcepti, seu privationem observationis præcepti debita inesse, & hoc modo non obedire est peccatum inobedientiae. His præmissis facile solvi poterunt argumenta, quæ fieri solent contra modum conciliandi libertatem Christi cum

ejus impeccabilitate, suprà explicatam. Obijciunt ergo primò: Christus non potuit non obedire Patri, seu non implere præceptum de morte subeunda pro salute generis humani à Patre ipsi impositum: Ergo libere tale præceptum non implevit, subindeque nec in ejusdem implensione meruit, cum libertas sit conditio necessarii requisita ad meritum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Christus non potuit peccare, cum ab intrinseco esset impeccabilis: Ergo nec Patri non obedire, seu præceptum de morte pro salute generis humani subeunda non adimplere. Antecedens est certum, & patet ex dictis disp. præcedenti, ubi omnimodam Christi impeccabilitatem variis rationibus demonstravimus. Consequentia verò probatur. Posse non obedire, seu præceptum non implere, est posse peccare: Ergo si Christus peccare non potuit, non potuit etiam non obedire, seu non implere præceptum moriendi sibi à Patre impositum. Consequentia evidens est, Antecedens probatur. Actum non obedire, seu actum omitti actum præceptum, est actum peccare: Ergo posse non obedire, seu actum præceptum omitti, est posse peccare. Sicut quia actus esse hominem, est actus esse animal rationale, posse esse hominem, est posse esse animal rationale. Undè tritum est ac pervulgatum Philosophorum axioma: *Quod facit actus actum, hoc facit potentia possibiliter.*

Huic objectioni, quæ in hac materia præcipua est, ex principiis jam statutis dupliciter respondere potest. Inprimis enim potest sic distinguere. Antecedens: Christus non potuit non obedire Patri, seu non implere præceptum &c. privative, & in sensu composito; concedo Antecedens: negativè, & in sensu diviso, nego Antecedens. Ad cujus probationem, concedo Antecedente, distinguo Consequens eadem distinctione, & similiter ad probationem Consequentiæ, distinguo Antecedens. Posse non obedire privative, & in sensu composito, est posse peccare, concedo Antecedens. Posse non obedire negativè, & in sensu diviso, est posse peccare, nego Antecedens, & Consequentiam. Nec valet ab actu ad potentiam, quia negatio obedientiae ut existens, non est pura negatio, sed privatio moralis, poniturque & componitur cum præcepto, eò quòd ut existens non possit ab ullo accidenti præscindere, quorum unum est actualis cum præcepto conjunctio, & ratio privationis moralis: potentia autem tendit in non obedientiam in sensu diviso, & prout negatio est. Undè ille discursus non valet: *Non obedire de facto, est de facto peccare: Christus potuit non obedire: ergo potuit peccare:* arguitur enim ab una de sensu composito, & alia de sensu diviso, ad aliam de sensu composito, & variatur appellatio: sive arguitur à non restricto ad restrictum, inferitur enim ex eo quòd Christus potuit ponere negationem obedientiae, sub ratione negationis, potest ille illam ponere sub conceptu privationis, in qua prout sic peccatum omissionis consistit. Sicut hæc ratiocinatio non valet: *Actum non ponere actum præscriptum à Deo, est actum falsificare scientiam Dei: sed homo potest non ponere actum præscriptum à Deo: ergo potest falsificare scientiam Dei:* quia in ea similis defectus committitur, & fit etiam transitus à sensu composito ad divinum.

Secundò majoris claritatis gratia aliter distinguo hanc propositionem: *Posse non obedire,*

seu præceptum non implere, est posse peccare; si id intelligatur de potentia consequenti, seu de potentia positionis, concedo. Si de potentia antecedente, & puræ possibilitatis, nego. Nam inter utramque potentiam notabile intercedit discrimen, ut ex supra dictis patet: potentia enim consequens, seu positionis illa dicitur, quæ aliquando est ad actum reducenda; & cui ex nullo capite repugnat cum actu conjungi; unde cum perfectè & completè practica sit, à nullo prædicato, etiam accidentali, in suis extremis præscindit: potentia verò antecedens, seu puræ possibilitatis est, quæ ad actum reducenda non est, & cui ex aliqua suppositione repugnat cum actu conjungi, tenditque in actum, vel negationem actus secundum se; præscindendo ab his, quæ accidentaliter illi conveniunt, eo quod non sit practica completè: cum ergo, supposito præcepto de aliquo actu, omiffioni illius annexa sit ex accidenti ratio privationis moralis; sit quod potentia consequens, seu potentia positionis, ad illum omittendum, sit potentia ad omiffionem moraliter & privativè sumptam, subindeque potentia ad peccandum; non verò potentia antecedens, seu puræ possibilitatis, quæ tendit ad negationem actus secundum se; & cum præcificatione eorum, quæ ex accidenti illi conjuncta inveniuntur. Unde non valet ista consequentia: *Christus, supposito præcepto Patris de subeunda morte, potuit non mori, potuit à antecedenti, seu puræ possibilitatis: Ergo potuit peccare, & præceptum Patris non adimplere.*

Nec obstat exemplum; quod in objectione adducitur: nam homo est essentialiter animal rationale, omiffio verò, seu negatio mortis in Christo, non est essentialiter privatio & transgressio, sed accidentaliter, & ratione præcepti per accidens suppositi: potentia autem non potest ab actu dividere, quæ sunt illi essentialia, & sic non stat potentia ad esse hominem divisivè ab hoc, quod esse se animal rationale; potest tamen præscindere ab illis, quæ accidentaliter conjunguntur cum actu, vel negatione ejus, per tendentiam ad illa secundum se accepta; & quia negatio mortis solum est privatio per accidens, & ratione præcepti, quod illi essentiali non est, consequens fit, quod adhuc in instanti præcepti possit potentia tendere ad illam secundum se inspectam quoad sibi essentialia, qua ratione est negatio, præscindendo ab illa quatenus est privatio.

Ad axioma autem in contrarium adductum, respondetur illud esse verum, quando potentia & actus sibi correspondent; secus verò quando non sibi correspondent, ut contingit in proposito: nam potentia antecedens non moriendi, quæ remanet in Christo, stante præcepto ipsum ad mortem obligante, cum sit potentia ad negationem mortis solum ut dividendam à præcepto, non est potentia correspondens actui, quo Christus voluntariè non moriendo transgressus fuit præceptum, quandoquidem actus ille est ad negationem mortis, non ut dividendam à præcepto, sed ut componendam cum ipso.

Obiicies secundò, & simul instabis contra præcedentem solutionem & doctrinam: Potentia etiam antecedens, seu puræ possibilitatis ad odium Dei, est potentia peccandi: Ergo & potentia antecedens, seu puræ possibilitatis ad negationem mortis stante præcepto: Sed Christus cum ab interfecto impeccabilis esset, non habu-

it peccandi potentiam: Ergo nec potentiam antecedentem, seu puræ possibilitatis ad non moriendum, supposito præcepto moriendi sibi à Patre imposito. Antecedens constat, prima verò Consequentia sic ostenditur. Tam est mala negatio mortis, stante præcepto, utpote præcepti transgressiva, quàm sit malum de se odium Dei: Ergo potentia antecedens, seu puræ possibilitatis ad non moriendum, stante moriendi præcepto, non minùs est potentia peccandi, quàm potentia antecedens, seu puræ possibilitatis ad odium Dei.

Respondeo, concessio Antecedente, negando primam Consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia odium Dei quovis modo consideratum, est malum, & idè prohibitum, quia malum; unde potentia, quæ à tali actu specificatur, live de facto ponatur actus, live sit solummodo possibilis, non potest non esse mala: at verò negatio mortis est de se indifferens, nec est prohibita, quia mala, sed mala, quia prohibita; & idè per præceptum moriendi Christo impositum, non prohibetur negatio mortis purè possibilis, sed negatio posita, vel ponenda de facto; subindeque potentia antecedens, seu puræ possibilitatis ad negationem mortis, non est mala, nec peccaminosa, seu peccandi potentia.

Obiicies tertio, & simul instabis contra primam solutionem: Supposito præcepto moriendi non manet in Christo possibilis negatio mortis etiam in sensu diviso: Ergo supposito tali præcepto non manet liber ad moriendum. Consequentia patet, ad libertatem enim indifferentiæ requiritur potentia ad agendum, & non agendum, saltem in sensu diviso. Antecedens probatur: Negationem mortis esse possibilem in sensu diviso, est illam posse dividi à præcepto, sicut eam esse possibilem in sensu composito, est illam posse cum præcepto componi: Sed Christus non potuit negationem mortis à præcepto dividere: Ergo supposito præcepto negatio mortis non fuit Christo possibilis, etiam in sensu diviso. Major videtur certa; Minor probatur. Posse unum dividere ab alio, est posse unum ponere, & aliud auferre: Sed Christus non potuit à se præceptum auferre: Ergo nec potuit negationem mortis à præcepto dividere.

Respondeo, negando Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Majorem: negationem mortis esse possibilem in sensu diviso, est illam posse dividi à præcepto, divisibilitate accepta positivè nego Majorem. Divisibilitate non positivè, sed præcisiivè accepta, concedo Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Negatio moriendi supposito præcepto dupliciter ab illo dividi potest, positivè nimirum & præcisiivè: licet autem divisio positiva negationis mortis à præcepto petat ablationem præcepti, & potentia ad illam sic sumptam exigat patiter potentiam ablativam præcepti; divisio tamen præcisiiva negationis mortis à præcepto non petit ablationem præcepti, nec per consequens potentia ad illam sic sumptam postulat potentiam ablativam præcepti, sed ad illam sufficit potentia ad negationem mortis secundum se acceptam, qualiter à præcepto præscindit: quando verò nos constituimus in Christo potentiam ad non moriendum in sensu diviso, supposito etiam præcepto moriendi, per ly *diviso* non significatur di-

visio positiva negationis mortis à præcepto, sed duntaxat præcliva.

100. Obijcies quartò: Non est dabilis potentia ad id, quod implicat contradictionem: Sed supposito præcepto moriendi implicat Christum non mori de facto, cum ab intrinseco impeccabilis sit: Ergo supposito præcepto moriendi non est dabilis in Christo potentia ad non moriendum, subindeque posito tali præcepto non habet libertatem indifferentiæ ad moriendum, & non moriendum.

101. Respondeo, distinguendo Majorem: Non est dabilis potentia ad id, quod implicat contradictionem ex terminis, concedo Majorem. Ad id quod implicat contradictionem ex suppositione aliqua, subdistinguo Majorem: Non est dabilis potentia consequens, seu positionis, concedo Majorem: potentia antecedens, seu pure possibilitatis, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, distinguo Consequens, illudque concedo de potentia consequenti, seu positionis, nego autem de potentia antecedenti, seu pure possibilitatis. Nam implicatio existentie negationis mortis in Christo, non est ex intrinseco negationis mortis, sed ex aliquo accidenti, nempe ex suppositione præcepti & impeccabilitatis Christi; & ideo terminare potest habitudine potentie antecedentis, seu pure possibilitatis, quæ præcliva est ab his, quæ ex accidenti conveniunt, vel ex accidenti repugnant; non autem habitudinem potentie consequentis, seu positionis, quæ nec ab eis, nec ab accidentalibus præscindere potest, ut in solutione primæ objectionis declaravimus.

102. Obijcies ultimo: Necessitas antecedens destruit libertatem, ut communiter docent Philosophi & Theologi: Sed necessitas moriendi ex præcepto in Christo est necessitas antecedens: Ergo libertatem, & consequenter etiam meritum mortis ejus destruit. Major est certa, Minor probatur. Sola necessitas, quæ nostram libertatem consequitur, est necessitas consequens, ut docet Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. & lib. 1. de concordia prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio cap. 1. At necessitas orta ex præcepto non sequitur nostram libertatem, sed illam præcedit: Ergo non est necessitas consequens, sed antecedens.

103. Confirmatur: Necessitas orta ex aliquo se tenente ex parte actus primi, non est consequens, sed antecedens: At præceptum se tenet ex parte actus primi in ordine ad actum obedientiæ: Ergo necessitas orta ex præcepto non est consequens, sed antecedens. Minor constat, objectum enim ut cognitum ad actum voluntatis, ex parte actus primi concurret: Sed objectum obedientiæ est præceptum superioris: Ergo præceptum ut cognitum se tenet ex parte actus primi respectu actus obedientiæ. Major verò suadetur: Necessitas orta ex visione beatifica in ordine ad dilectionem Dei, non alia de causa antecedens est, & libertatem in tali dilectione non patitur, nisi quia ex parte actus primi ad beatificam dilectionem concurret; & è contra in sententia Thomistarum auxilium physicè prædeterminans non inducit necessitatem antecedentem, quia non ex parte actus primi, sed ut applicatio efficax ad actus nostros concurret: Ergo necessitas orta ex aliquo se tenente ex parte actus primi, est necessitas antecedens.

104. Respondeo concessa Majori, negando Mino-

rem, ed cujus probationem, distinguo & certum Majorem: Sola necessitas, quæ nostram libertatem consequitur, formaliter, aut æquivalente, est necessitas consequens, concedo Majorem. Solum formaliter, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Consequi nostram libertatem formaliter, est illam in seipso supponere, consequi autem nostram libertatem æquivalente, est consequi & illam supponere in aliquo eminenter continente libertatem nostram, & quia præceptum Christo impositum supponit decretum Dei efficax de operatione præcepti, ut supra annotavimus; & aliunde in tali decreto, utpote primo libero, ac primæ rationis libertatis creatæ & participatæ radice libertatis Christi imperati eminenter continetur, de fit quod necessitas orta ex præcepto Christi imposito consequatur libertatem actus præcepti, si non formaliter, saltem æquivalente, proinde quod non sit antecedens, sed consequens quoad effectum conservandi illam libertatem. Hanc solutionem & doctrinam fuisse expressimus in Tract. de prædestinatione, ubi etiam mentem & doctrinam Anselmi, quæ frequenter abutuntur Adversarii, elucidavimus, eamque tradit & egregie explicat Episcopus Oxoniensis in manuscripto de merito Christi.

Secundo responderi potest cum eodem Episcopo, aliter distinguendo eandem Majorem: Sola necessitas, quæ nostram libertatem liberam in recto subsequitur non est antecedens, nego Majorem. Sumptam in recto, vel in obliquo, concedo Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam cum præceptum sit de actu, connotando libertatem in illo, licet necessitas orta ex præcepto non supponat libertatem actus præcepti, sumptam in recto, illam tamen in obliquo supponat: Ideo non est antecedens, sed consequens sufficienti modo, ut libertatem non destruat, sed intorquet potius, & confirmet.

Ad confirmationem nego Majorem universaliter intellectam, intentio enim efficax fine in actu primo ad electionem concurret, illamque infallibiliter infert, quando non est nisi unum tantum medium, & tamen illius libertatem non tollit, ut in Tract. de actibus humanis ostendimus: Imperium etiam ex parte actus primi se tenet in ordine ad usum, cum ad illud regulare concurret, illumque efficaciter infert absque eo, quod ejus libertatem impediatur, ut ibid. docuimus & cum Thomistis censet Bellarminus. Non ergo omnis necessitas orta & se tenens ex parte actus primi, est antecedens, sed solum illa quæ sequitur ad principium non supponens libertatem nostram, nec in seipsa formaliter, nec in alio eminenter continente, vel quæ sequitur ad principium non connotans pro termino & materia libertatem. Unde clara Dei ratio non necessitat antecedenter ad amorem, ex eo præcepto quod ex parte actus primi ad illum concurret, sed quia tollit indifferentiam objectivam potestatis, quæ est proxima radix libertatis, & in dilectione beatifica, prout ad Deum terminata, secundum perfectiones necessarias, libertatem connotat, sed potius necessitatem; unde eandem dilectionis, ut ad creaturas terminata, libertatem non auferit, tamen ad illam præceptum sic ex parte actus primi se tenet.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: operationes Christi Domini habuisse valorem meritorium simpliciter infinitum.

Probatur primò conclusio ex Clemente VI. in dicta Extravaganti *unigenitus*, ubi loquens de thesauro Ecclesie, sic ait: *De cuius consumptione, aut diminutione, non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi.* Ergo juxta Pontificem, operationes Christi fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti. Consequentia patet. Tum quia si illarum valor meritorius, non esset infinitus simpliciter, merita Christi non appellarentur absolute infinita. Tum etiam, quia alias formidare cum fundamento possemus, ne ingratis peccata hominum crescerent, ut eorum multitudinem merita Christi tandem extinguerentur, aut consumerentur, ut ex infra dicendis patebit.

Nec valet communis responsio Adversariorum, dicentium ex prædicta Pontificis definitione, non colligi merita Christi ex natura rei, seu ex valore intrinseco, fuisse infinita, sed solum ex favore Dei extrinseco, nimirum ex acceptatione divina, quia scilicet fuerunt acceptata à Deo ad præmiū infinitum, nempe ad remissionem multitudinis infinitæ peccatorum, supposito quod illa daretur, vel esset possibilis. Non valet, inquam, hæc responsio: Primò, quia Pontifex ad infinitatem meritorum Christi suadendam, non ad acceptationem extrinsecam Dei, sed ad intrinsecam conjunctionem ad Verbum recurrit, dicens unam guttam sanguinis Christi, propter conjunctionem ad Verbum, sufficientissimam fuisse pro peccatis omnium hominum: Sed si merita Christi solum essent infinita ex acceptatione extrinseca Dei, ad illa recurreret, & non ad conjunctionem cum Verbo: Ergo solutio ista aliena est à mente Pontificis.

Secundò, Merita Christi de facto non fuerunt acceptata pro remissione infinitorum peccatorum: Ergo si ex se, & ex intrinseco valore, infinitatem non habent, non recipiunt illam ex acceptatione extrinseca Dei.

Tertiò, Vel acceptatio divina fuit juxta dignitatem meritoriam operationem Christi, vel fuit supra illam? Si primum, jam supponitur dignitas infinita, seu valor infinite meritorius, in operibus Christi, ante Dei acceptationem. Secundum verò dici non potest: Ergo &c. Minor pro secunda parte, in qua est difficultas, sic ostenditur. Opus ex se non condignum, sed solum ex præmiantis acceptatione, imperfectum est in ratione meriti; sicut pretium de se inæquale, & solum æquale ex alterius voluntaria acceptatione, est in ratione pretij imperfectum: Ergo si opera Christi de se non fuerunt condigna in ratione meriti, sed id habuere ex acceptatione extrinseca Dei, fuere imperfecta in ratione meriti: hoc autem à mente Pontificis prorsus alienum est, cum loco citato excellenter meritorum & satisfactionum Christi extollere, & perfectam redemptionis nostræ sufficientiam, imò & superabundantiam, declarare intendat.

Probatur secundò conclusio ratione quam idem Pontifex loco citato insinuat: Opus quod pro quovis præmio, majori & majori in infinitum, oblatum, dignè illud mereri potest, continet valorem meritorium infinitum simpliciter: At hujusmodi est quodcumque Christi opus: Ergo habet valorem meritorium simpliciter infinitum. Major certà videtur: Tum quia si esset valoris fi-

0000 3 nri,

ratio cur in sententia Thonistarum auxilium A
physice prædeterminans non inducit necessitatem antecedentem, non est quia applicativè tantum ad actus nostros concurrat; sed quia à prima libertatis nostræ radice, efficaci scilicet divinæ voluntatis decreto, substantiam & modum in nostris operationibus causante, æquivalenter condescendit ad nostram libertatem & effectum à se causatur, & illam connotat ut effectum à se causatum: unde si illud quod se tenet ex parte actus primi, his conditionibus gaudeat, esto infallibiliter inferat operationem, illius libertatem non impedit, sed firmabit.

ARTICULUS IV.

an operationes Christi Domini fuerint valoris meritorij simpliciter infiniti?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Notandum primò: consulto me non dixisse, an Christi meritum fuerit infinitum simpliciter, sed an operationes ejus fuerint valoris meritorij simpliciter infiniti: ut enim rectè observat Alsticiensis relect. de gratia Christi qu. 5. art. 2. non est idem opus esse valoris meritorij infiniti simpliciter, & meritum esse infinitum simpliciter; quia ut meritum sit infinitum, non sufficit quod sit de se sufficiens ad faciendum sibi debitum quodcumque præmium, etiam infinitum, sed insuper requiritur quod importet actuale jus ad præmium infinitum, qui enim mereatur sibi acquirere ad præmium suscipiendum; ut autem quis acquirat sibi jus ad præmium suscipiendum, præter valorem operis, requiruntur plura alia, præsertim quod opus ordinetur ad præmium & mercedem, ut supra art. 1. observavimus.

Notandum secundò: Quod licet in operationibus Christi, ratio meriti & satisfactionis simul reperiantur, ut docet D. Thomas loquendo in particulari de passione Christi, infra qu. 48. art. 1. & 2. ratio tamen meriti non est omnino eadem cum ratione satisfactionis: ista enim respicit malam personæ offensam, ut repellendum; illa verò bonum merentis, ut à Deo obtinendum; unde dicimur Deo pro nobis satisfacere, nobisque mereri à Deo, vel apud Deum. Item valor satisfactorius sumitur ex dignitate personæ, valor autem meritorius ex ipsius sanctitate. His præmissis,

Circa propositam difficultatem duæ versantur sententiæ. Prima negat operationibus Christi Domini valorem meritorium simpliciter infinitum. Ita Scotus & ejus Discipuli, qui licet dicant Christi meritum fuisse infinitum, volunt tamen hanc infinitatem non esse propter valorem & dignitatem intrinsecam ipsius operis meritorij Christi, sed propter extrinsecam acceptationem Dei, quia videlicet fuit à Deo acceptatum pro infinitis posteris Adæ, si futuri essent. Eandem sententiam docet Joannes Medina, Codice de penitentia, tract. 3. quæst. 1.

Oppositam sententiam, affirmantem operationes Christi valorem meritorium simpliciter infinitum continere, docent omnes alij Theologi tam domestici, quam extranei; illaque magnum habere videtur fundamentum in Extravaganti *unigenitus*, de penitentia, & remissionibus ut patebit ex mox dicendis.

niti, posset deveniri ad aliquod premium quod illi esset adequatum, & ultra quod non posset se extendere condignitas ipsius operis. Tum etiam, quia vis effectiva physica effectuum inaequalis perfectionis uique in infinitum syncategorematicè non potest causæ non infinitæ physice convenire, unde omnipotentia Dei infinitatem ex eo colligunt Theologi, quod ad effectus syncategorematicè infinitos inaequalis perfectionis extenditur: Ergo pariter vis effectiva moralis effectuum inaequalium sine termino (qualis est vis meritoria) convenire nequit actioni quæ in genere moris simpliciter infinita non sit.

113. Confirmatur. Quia satisfactio continet moraliter remissionem offensæ, vis satisfactoria pro culpis sine termino in infinitum, nequit convenire actui non habenti valorem satisfactorium simpliciter infinitum, ut supra ostensum est: Sed etiam premium moraliter continetur in merito: Ergo præmia sine termino nequeunt contineri in merito non habente valorem meritorium simpliciter infinitum.

Diff. 4.
art. 3.

114. Minor vero suadetur primo: Eadem est vis operationum Christi sub ratione meriti, ac sub ratione satisfactoris: Sed operationes Christi habuerunt vim satisfactoriam pro culpis inaequalis malitiæ sine termino in infinitum, alias timeri posset ne talis vis culparum multitudine tandem consumeretur: Ergo etiam habuerunt valorem meritorium præmium in perfectione inaequalium sine termino in infinitum.

Secundo, Omnia præmia creata, divisivè aut collectivè sumpta, non sunt tanti valoris & æstimabilitatis, ac opera Christi Domini, propter conjunctionem humanitatis ejus ad Verbum: Ergo vis illorum meritoria, ad omnia præmia creata & creabilia, quæ inaequalis sunt perfectionis, extenditur sine termino. Consequentia patet, Antecedens probatur. Si esset assignabile aliquod premium creatum & finitum, quod esset adequatum valori & æstimabilitati alicujus operis Christi, sequeretur posse dari puram creaturam, quæ eliceret opus tanti valoris & æstimabilitatis, quanta esset aliquod Christi opus; etenim nullum est assignabile premium finitum, quod non possit sibi pura creatura mereri per Christi gratiam: Sed implicat opus puræ creaturæ, etiam perfectissimæ, si daretur, & adjuncta perfectissimæ gratiæ, esse tanti valoris ad merendum, quanti est quodlibet Christi opus, sicut implicat puram aliquam creaturam esse tam dignam, sicut Christus: Ergo implicat dari aliquod premium creatum & finitum, quod sit tanti valoris & æstimabilitatis, quanta est aliquod opus Christi Domini. Rationem hanc videtur innuere D. Cyrillus in posteriori Epistola ad Reginas, dum ait, *Pretium non fuisse satis magnum, si Christus purus homo fuisset: ipsi vero Deo incarnato universa creatura comparata, modicum quid est, & ideo mors ejus abunde fuit ad liberationem.* Ubi affirmat Christi pretium, seu meritum, non posse æquari à merito puræ creaturæ, quia pura creatura comparata Christo, modicum quid est.

Tertiò Minor principalis suadetur: Persona divina potest taliter dignificare opera quæ elicit in natura assumpta, ut habeant valorem ad merendum quodcumque premium majus & majus in infinitum: At hoc supposito, convenientissimum est talem valorem operibus Christi tribuere: Ergo opera Christi habebant valorem meritorium ad merendum quodcumque præ-

mium majus & majus in infinitum. Minor principalis argumenti, ut enim (inquunt) præmeritorium ad præmia inaequalis perfectionis sine termino se extendat, non requiritur infinitum, sed sufficit superioritas ordinis: infinita namque ordinis inferioris nequeunt in perfectione attingere rem ordinis superioris, & per consequens in actu meritorio dignitatis ordinis superioris, possunt præmia infinita inferioris ordinis moraliter contineri: quia ergo dignitas operationum Christi, est superioris ordinis ad omnem creaturam creatam & creabilem divisivè & collectivè consequens sit, quod omne ens creatum meritorie contineatur in illis, licet non sine valore meritorij simpliciter infiniti.

Sed contra primo: Vis effectiva physica effectuum inaequalis perfectionis sine termino in infinitum, non solum arguit superioritatem ordinis in principio continente, sed etiam infinitatem simpliciter, alias ex continentia omnium possibilem in omnipotentia, non recte colligeretur illam esse infinitam simpliciter, sed tantum quod esset superioris ordinis ad omnem entitatem creabilem: Ergo pariter vis meritoria præmium syncategorematicè infinita, non solum arguit in actu dignitatem ordinis superioris, sed etiam dignitatem meritoriam simpliciter infinitam.

Secundo, Etsi actus supernaturales sunt ordinis superioris ad omnem entitatem & præmium naturale, non habent tamen vim merendi præmia ordinis naturalis syncategorematicè infinita: Ergo sola superioritas ordinis non sufficit ad vim meritoriam, & moralem continentiam syncategorematicè infinitam rerum exaltantium in ordine inferiori.

Tertiò, Etsi in physicis res ordinis inferioris adæquare nequeat id quod in superiori ordine existit, in moralibus tamen hoc universalius verum non est, ut constat in actibus misericordiae, vel justitiæ, qui specificè inferiores sunt actibus charitatis, & tamen plures actus repetiti misericordiae & justitiæ, vel actus magnæ intentionis, adæquare & excedere possunt in valore meritorio unum actum charitatis. Peccatum etiam charitati oppositum est gravius specificè peccatis oppositis aliis virtutibus; & tamen peccata aliis virtutibus opposita, sæpius reperiuntur, vel intensissimo conatu patrata, excedere possunt in gravitate unum peccatum contra charitatem commissum: Ergo si valor meritorij operationum Christi non sit infinitus simpliciter, quantumvis sit superioris ordinis ad omne premium creabile, poterit præmium multitudine adæquare; subindeque illarum vis meritoria, non erit syncategorematicè infinita.

Denique suaderi potest conclusio ratione a priori: Sanctitas personæ operantis dat operi valorem meritorium, sicut ejus dignitas in illud infundit valorem satisfactorium, ut supra ostensum est secundò observatum est: Ergo infinita sanctitas infinitum dat valorem: Sed sanctitas Christi infinita est in ratione sanctitatis, fuit enim illius

humanit: sanctificata infinitè per gratiam unio-
nis, ut dicitur. 1. vidimus: Ergo illius operationes
valorem meritorium simpliciter infinitum con-
tinent.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
Opera humana facta extra statum adoptionis fi-
liorum Dei, seu in pura natura, hoc ipso quod
sunt bona moraliter, merentur de condigno præ-
mium aliquod naturale: eadem vero opera, eo
ipso quod sunt ab homine sanctificato per gra-
tiam habitualement, & constituto in statu adoptio-
nis filij Dei per iustitiam inhaerentem creatam,
nulla aliâ factâ mutatione physica in substantia
ipsorum, & elevatur ad tantam dignitatem, ut
mereantur de condigno præmiū supernaturale
vix æternæ, quod multum excedit præmium il-
lud naturale: Ergo eodem modo, eadem opera,
nulla factâ mutatione in illis, eo ipso quod à Filio
Dei naturali, & à persona infinitè sancta, qualis
est Christus, eliciebantur, erant meritoria de
condigno præmij infiniti, & valorem merito-
rium infinitum simpliciter continebant.

Respondent Scoti Discipuli: quod licet per-
sona Christi sit infinitè sanctitatis, non sequitur
tamen, ejus operationes continere valorem me-
ritorium simpliciter infinitum: quia (inquiunt)
persona non influit in opera meritoria imme-
diatè seipsâ, sed medio principio quo, mediante
scilicet humanitate, & gratiâ habituali; unde
cum illa finita sint, Christus non influit in suas
operationes valorem meritorium infinitum sim-
pliciter, sed tantum valorem inadæquabilem à
merito puræ creaturæ.

Sed contra primò: Vel persona Christi com-
municat seipsâ immediatè aliquem valorem o-
peri meritorio, vel non? Si primum, dat infinitum
valorem. Si secundum, dare nequit valo-
rem inadæquabilem à merito puræ creaturæ:
Ergo vel fateri debent Scoti Discipuli, opera
Christi esse valoris meritorij simpliciter infiniti,
vel negare quod gaudeant valore inadæquabili
à merito puræ creaturæ. Prima pars hujus di-
scursus patet, Scotistæ enim ex eo inferunt per-
sonam Christi, quamvis infinitam, non influere
in proprias operationes valorem meritorium,
infinitum simpliciter, quia in illas non influit
immediatè, sed mediante principio quo limitato:
Ergo si valorem aliquem seipsâ immediatè com-
municat operi meritorio, cessat limitationis ra-
tio, & consequenter dare illi poterit valorem
meritorium infinitum simpliciter. Pro secunda
verò parte probatur: Principium mediante quo
influit persona Christi valorem meritorium in
propriis operationes, est ejusdem rationis cum
principio quo meriti puræ creaturæ, nempe gra-
tia habitualis, & virtutes ipsam consequentes,
quæ licet in gradu intensiori communicatæ fue-
rint humanitati Christi, quam omni puræ crea-
turæ, potuerunt tamen de potentia absoluta, in
gradu æquali, imò & majori, puræ creaturæ com-
municari: Ergo si persona Christi nullum valo-
rem meritorium communicat propriis actibus
immediatè seipsâ, sed omnem tribuit mediante
principio quo, nullus valor meritorius reperie-
tur in illis, quem de potentia absoluta adæquare
nequeat meritum puræ creaturæ.

Secundò, Etsi principium quo eliciat entita-
tem actuum, dignitatem tamen seu valorem me-
ritalem à persona desumptum non causat: Ergo
licet limitatio principij quo elicientis, limitet
actus Christi Domini, quantum ad perfectionem

physicam, non tamen quantum ad dignitatem &
valorem morale satisfactorium & merito-
rium, qui ipsis competit ex dignitate & sanctita-
te personæ: Ergo ex eo quod persona Christi
non influit in suas operationes immediatè, sed
medio principio quo finito & limitato (medi-
ante scilicet humanitate & gratiâ habituali)
non rectè colligitur quod illis infinitum valo-
rem meritorium communicare nequeat.

S. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Opus quod non est dignum
infinito præmio, non potest infinitum valo-
rem meritorium continere: Sed opera Christi
non erant digna infinito præmio: Ergo non erant
valoris meritorij simpliciter infiniti. Major pa-
tet, nam valor operis meritorij, non est nisi jus
quoddam ipsius operis ad præmium sibi æquale;
unde opus aliquod idèò dicitur finiti vel infini-
ti valoris meritorij, quia habet jus ad finitum
vel infinitum præmium, seu quia est dignum fi-
nito vel infinito præmio. Minor verò probatur:
Non est dabile infinitum præmium, ut infinita
gratia, aut infinita vitio Dei: Sed Christi opera
non erant digna nisi præmio possibili, alias Chri-
stus plus meruisset, quam Deus possit conferre,
quod est absurdum, & multum derogans infini-
tati divinæ potentie: Ergo opera Christi non
erant digna infinito præmio.

Respondeo primò, concessa Majori, distin-
guendo Minorem: Opera Christi non erant di-
gna præmio infinito actu & categorematicè con-
cedo Minorem: infinito in potentia & syncate-
gorematicè, nego Minorem: opera enim Christi
erant digna quocumque præmio finito, majori
& majori in infinitum, ut in prima probatione
conclusionis ostendimus: hoc verò arguit in ipsis
valorem meritorium simpliciter infinitum, ut
patet exemplo ibidem adducto de potentia Dei,
quæ est infinita simpliciter, quia dato quocum-
que effectu, potest alium præstantiorem produ-
cere, quamvis quilibet illorum semper sit finitus.

Respondeo secundò, negando absolute Mi-
norem, opera enim Christi fuerunt digna præ-
mio simpliciter & actu infinito, nimirum unione
hypostaticâ humanitatis suæ, vel alterius homi-
nis, cum Persona Patris, vel Spiritus Sancti, quæ
unio est bonum quoddam infinitum. Imò juxta
probabiliorem sententiam, quam supra secuti
sumus, Christus sibi meruit reunionem humani-
tatis ad Verbum factam in resurrectione, quæ
etiam præmium quoddam infinitum est, cum sit
veluti quædam restitutio unionis hypostaticæ,
ut ibidem exposuimus.

Dices, Si Pater carnem assumeret, intuitu ali-
cujus operis Christi, virtus meritoria talis ope-
ris exhausta maneret: tunc enim meritum ex-
hauritur, quando ei correspondet præmium æ-
qualis valoris: incarnatio autem Patris, æqualis
valoris & æstimationis est, ac quæcumque ope-
ratio Christi: Ergo valor meritorius operatio-
num Christi, talis conditionis non est, ut quo-
cumque præmio dato, inexhaustus perseveret,
subindeque non est simpliciter infinitus.

Respondeo in casu quo Pater vel Spiritus San-
ctus carnem sumerent, intuitu alicujus operis
meritorij Christi, exhauriendâ fore illius operis
condignitatem, ob ratione assignatam, id tamen
non obstat infinito valori meritorio operatio-
num

num Christi; non enim perit infinitas valoris meritorij, quod infinito premio non exhauriatur, sed tantum quod à quocumque premio finito, quantumcumque multiplicato, nunquam exhauriri possit. Potestque id declarari & illustrari exemplo potentiae generativae Patris aeterni, quae licet simpliciter & per essentiam infinita sit, unius tamen Filij generatione exhauritur, quia talis Filius simili infinitate gaudet. Ita pariter, quod valor meritorius unius operationis Christi, totaliter exhauriatur per incarnationem Patris ei correspondentem in primum, illius infinitati non obest, quia incarnatio Patris est infinita in ratione premij. Aliam hujus instantiae solutionem vide supra disp. 4. art. 3 §. 2.

126. Obicies secundò: Infinito simpliciter in aliquo genere, non potest in eodem genere dari majus: Sed unus actus meritorius Christi, est majoris valoris meritorij, quam alius: Ergo nullus est simpliciter infinitus in ratione valoris meritorij. Major videtur certa, Minor probatur. Actus charitatis Christi adaequatur cum actu humilitatis in valore personali, & illum excedit in valore sumpto ex objecto: Ergo est major in ratione valoris meritorij.

127. Respondeo Majorem esse veram de infinitate intensiva, secus autem de extensiva; hoc enim complexum Deus homo, est quid majus extensive, quam Deus solus, non autem intensivè, quia humanitas in deitate eminenter continetur: quia ergo valor meritorius actus charitatis, ei competens ex objecto, continetur eminenter in valore actus humilitatis à persona desumpto, hinc fit quod actus charitatis Christi extensive solum excedat actum humilitatis, non verò intensivè.

128. Obicies tertio: Quod dependet à pluribus causis quarum aliqua est finita, non est infinitum simpliciter, et si aliae infinitae sint: Sed valor meritorius operationum Christi dependet à pluribus causis finitis, nempe à gratia habituali, ab intensione actus, ab objecto &c. Ergo et si persona Verbi tales operationes eliciens infinita sit, illarum tamen valor meritorius, non erit infinitus simpliciter.

129. Respondeo Majorem esse veram, quando aliquid per se & formaliter à causa finita dependet; secus autem si ab illa dependeat materialiter tantum & subjectivè, ac praesuppositivè: valor autem meritorius operationum Christi, sumptus ex dignitate & sanctitate personae, quem nos infinitum asserimus, non dependet à gratia, nec ab aliis concurrentibus ad actum, nisi solum antecedenter, & praesuppositivè, ut scilicet ponatur substratum recepturum infinitatem, unde non obstante hac dependentiâ, talis valor est simpliciter infinitus.

130. Obicies quartò: Valor meritorius supponit bonitatem moralem in opere, & ad illam consequitur, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 21. art. 4. Sed bonitas moralis operationum Christi finita & limitata erat: Ergo & valor illarum meritorius. Minor probatur: Tum quia operationes Christi multoties versabantur circa objecta finita: Tum etiam, quia licet aliqua haberent infinitum objectum, quia tamen modus tendendi finitus & limitatus erat, non poterat infinitam bonitatem ab ipso desumere.

131. Respondeo quod licet valor meritorius supponat bonitatem moralem in opere, non solum tamen ad illam consequitur, sed etiam ad dignitatem & sanctitatem operantis; unde quando

haec fuerit infinita, ut contingit in proposito, valor meritorius infinitus erit, et si bonitas moralis actionis finita & limitata sit.

Obicies ultimo: Si quodlibet Christi opus ratione infinitae dignitatis & sanctitatis personae, qua procedebat, valorem meritorium simpliciter infinitum habuisset, sequeretur quod prima operatio meritoria Christi, in primo conceptionis momento elicit, fuisset meritoria cuiusdam quae premij, atque adeò quod Christus nec per alias operationes suae vitae mortalis, nec per suam mortem, aliquid potuisset mereri: Sed hoc idem nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifeste videtur, nam opus continens valorem meritorium simpliciter infinitum, omne premium possibile promeretur.

Respondeo distinguendo sequelam Majoris: sequeretur quod prima operatio fuisset meritoria cuiusdam quae premij, quantum ad sufficientiam & valorem, concedo. Quantum ad efficaciam & applicationem, nego. Itaque non ex defectu valoris primae operationis quam Christus in primo suae conceptionis momento elicit, non meretur omnia per illam, sufficientissima enim erat illa sola ad quodcumque premium promerendum, etiam si nulla alia superaddita fuisset: sed ex hoc quod Christus alia opera excellentiora ex objecto, vel magis ardua & difficilia, praesertim vero passionem & mortem suam, ad diveria premium, specialiter ad salutem & redemptionem generis humani, ordinare, & applicare voluit; unde communiter dicunt Theologi, Christum per passionem & mortem suam, meritum suum consummasse. Alia argumenta quae contra nostram conclusionem fieri solent, supra agendo de valore infinito satisfactionis Christi, proposita & soluta sunt.

ARTICULUS V.

An Christus sibi meruerit gratiam habitualem, & gloriam essentialem animae, vel saltem mereri potuerit, tamen si illas à primo instanti suae conceptionis habuerit?

§. I.

Quibusdam praemissis referuntur sententiae.

Supponimus in primis ut certum, Christum à primo suae conceptionis instanti habuisse gratiam habitualement, atque gloriam essentialem animae, claram scilicet Dei visionem, ut supra de gratia habituali disp. 1. 2. art. 1. §. 3. de gloria vero essentiali disp. 1. 6. art. 1. ostensum est. Unde hic examinandum restat, quâ ratione utramque tunc obtinuerit, an scilicet per proprium meritum, vel sine illo?

Supponimus etiam ut certum, quod si Christus assumeret naturam humanam, gloria essentiali & gratia habituali spoliatur, utramque mereri posset: nam in tali casu posset Christus elicere actus bonos supernaturales, vel cum auxilio supernaturali, vel ex unione naturae humanae ad personam divinam; cumque ex alia parte nulli ex conditionibus ad meritum requisitis deficeret, consequens fit, quod in tali hypothese Christus & gratiam habitualement, & gloriam essentialem mereri potuerit. Unde solum difficultas est, & controversia inter Theologos, an postea quod Christus ab initio conceptionis, tam gratiam habitualement, quam gloriam essentialem animae habuerit, nihilominus illas potuerit promereri?

136. Prima sententia affirmat Christum de facto A
utramque meruisse. Hanc docent Alciusdorena-
lis, libro 1. tract. 1. cap. 7. Major in 3. dist. 18.
qu. 2. Bassolis, Theophilus Raynaudus, & alij.
illamque probabilem censet Suarez hic disp.
10. sect. 2.

Secunda extremè opposita negat id contin-
gere potuisse, etiam de potentia absoluta, sup-
posito quod Christus à primo conceptionis mo-
mento gratiam habitualement, & gloriam essentia-
lem habuerit. Ita Medina hic ar. 3. q. 5. concl. 4.
Nazarius contrav. unica p. 7. concl. 2. Cabrera
disp. 7. §. 4. con. 2. & Joannes à S. Thoma disp. 18.
ar. 1. concl. 2. Hanc etiam sententiam insinuat
Vazquez disp. 78. cap. 3. ubi docet quod si possi-
bile foret ut Christus mereretur suam beatitudi-
nem essentialem, illam de facto meruisset.

Tertia, quæ media est, affirmat id de facto
non contigisse, potuisse tamen contingere de po-
tentia absoluta, tamen Christus gratiam habi-
tualement, & gloriam essentialem animæ, ab initio
conceptionis habuerit. Ita Cipullus hic art. 3.
dubio 10. Episcopus Oxoniensis in manuscrip-
to de gratia Christi, & alij ab ipso citati.

§. II.

Sequitur prima conclusio, & ostenditur Christum, nec
gratiam habitualement, nec gloriam essentialem
animæ, de facto meruisse.

Dico primò: Christus non meruit gratiam ha-
bitualement, nec gloriam essentialem animæ.
Hanc conclusionem probant aliqui hoc di-
scursus: Christus non meruit unionem suæ hu-
manitatis cum Verbo, quandoquidem unio hypo-
stastica præcessit omne meritum, & gratuito hu-
manitati Christi concessa est: Ergo neque me-
ruit gratiam aut gloriam. Probant Consequen-
tiam, quia gratia & gloria necessariò consequun-
tur ipsam unionem, sicut proprietates essen-
tiam unde sicut passionem non possunt cadere
sub merito, quia consequuntur essentialiam, ita
nec gratia habitualis, nec gloria essentialis ani-
mæ Christi.

Alij utuntur hac ratione: Gratia & gloria e-
rant debite animæ Christi, titulo connaturalita-
tis, ratione unionis hypostaticæ. At quod est de-
bitum alicui titulo connaturalitatis, non potest
fieri iterum ei debitum per meritum: Ergo &c.

Verum hæ rationes non videntur efficaces, pri-
ma enim supponit falsum, nempe gratiam habi-
tualement & gloriam manare ab unionis hypostati-
ca tanquam illius passionem, hoc enim supra im-
pugnatum est. Secunda verò habet manifestam
inconsistentiam in gloria corporis, quæ erat debita
Christo, titulo connaturalitatis, cum deberet
connaturaliter emanare à gloria animæ, & ta-
men, ut videbimus articulo sequenti, Christus
illam sibi meruit: unde habere aliquid ex meri-
to, & connaturaliter, non sunt tituli se invicem
excludentes. His ergo rationibus prætermis-
sis,

139. Prima pars conclusionis probatur hac ratio-
ne: Christus non meruit gratiam habitualement per
actus ab ipsa procedentes: Sed omnis actus meri-
torius Christi à gratia habituali processit: Ergo
eam non meruit. Major constat, nam principium
meriti, de lege saltem ordinaria, non potest esse
premiū operum procedentium ab ipso. Minor
verò probatur: Oportuit ut anima Christi actus
meritorios eliceret connaturaliter: Sed sic eli-
ci nequeunt sine gratia habituali: Ergo omnis
actus meritorius Christi, à gratia habituali pro-

Tom. IV.

cessit. Minor supra probata fuit, Major verò
constat: Tum quia de Christi actibus loqui de-
bemus conformiter ad illorum naturam, nisi
oppositum sit revelatum, vel aliquid in conve-
niens sequatur. Tum etiam, quia operari actus
supernaturales modo non connaturali, est im-
perfectè operari: Christo autem attribuire de-
bemus nedum perfectas operationes, sed etiam
modum operandi perfectum.

Secunda pars conclusionis, quæ est de gloria
essentiali animæ Christi, probatur primò ratione
D. Thomæ, ad hanc formam redacta. Ut Chri-
stus mereretur animæ beatitudinem, necessariū
erat quod illā aliquando caruisset: Sed carentia
beatitudinis essentialis, pro nullo instanti fuit in
anima Christi: Ergo non meruit essentialiam ani-
mæ beatitudinem. Major manifestat videtur, nam
meritum nō est nisi ejus quod nondum habetur:
Ergo ut Christus mereretur essentialiam animæ
beatitudinem, necessarium erat quod aliquando
eā caruisset. Minorem verò probat D. Thomas,
quia carentia beatitudinis magis dignitati Chri-
sti præjudicat, quàm per meritum ista accrescat,
& consequenter majoris dignitatis est nunquam
carere essentiali beatitudine, quàm per meri-
tum illam obtinere. cum enim (ut notavit Caje-
tanus) essentialis beatitudo intra latitudinem
gratiæ contineatur, illius carentia, est carentia
plenitudinis gratiæ, quæ magis præjudicat di-
gnitati Christi, quàm talis dignitas per meritum
accrescat: Sed Christo concedi debet quod ma-
joris dignitatis est: Ergo asserendum est, ipsum
nunquam essentiali beatitudine animæ caruisse.

Secundò suaderi potest eadem pars hac ratio-
ne: Cognitio fidei, vel alia quæcumque me vi-
dens, non potuit regulare meritum Christi: cum
nec cognitio fidei, nec ulla notitia obscura, pos-
sit esse simul cum visione beata, quam Christus
à primo instanti conceptionis habuit: unde me-
ritum Christi vel à visione beata, vel à scientia
infusa ipsam consequente regulatum fuit; sub-
indeque utraque scientia, beata nimirum & in-
fusa, ad omne meritum Christi, tanquam illius
regula supposita est: unde cum principium me-
riti non cadat sub merito, Christus nec scienti-
am beatam, nec infusam meruit, sed utramque
à primo conceptionis momento, titulo connat-
uralitatis, à Deo recepit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam partem con-
clusionis: Juxta D. Thomam infra qu. 34.
ar. 3. Christus in primo suæ conceptionis instan-
ti sanctificatus fuit per proprium actum, & pro-
priam dispositionem, qui est modus sanctifica-
tionis adultorum, perfectiorque modo sanctifi-
cationis parvulorum: Ergo juxta D. Thomam,
motus liber charitatis præcessit in Christo gra-
tiam habitualement, nam actus disponens ad for-
mam, saltem prioritate naturæ, petit præcedere
formam: At prædicto actui nihil defuit ut de fa-
cto mereretur gratiam habitualement: Ergo illam
de facto meruit. Minor pater, nam actus ille fuit
supernaturalis, processit à Christo ut viatore, &
ut subiecto pro illo priorigrato, gratitudine
personali: Ergo habuit condiciones omnes ad
meritum necessarias, & consequenter de facto
meruit gratiam habitualement.

Huic argumento respondent aliqui ex nostris
Thomistis, quod licet Christus per proprios
actus

Ppp

actus

actus se disposuerit ad gratiam habitualement, eam tamen non meruit, quia tales actus solum prioritate naturae illam praecedere, meritum autem debet tempore praecedere praemium. Alij vero dicunt (& sic solutio coincidit cum praecedenti) Christum per actum charitatis, quo in primo conceptionis momento ad gratiam habitualement se disposuit, illam non meruisse, quia talis actus non fuit dispositio praecedens gratiam, sed eam duntaxat concomitans. Tercio alij respondent cum Medina, ideò praedictum actum non meruisse gratiam habitualement, quia ut meritorius esset, gratiam necessariò supponebat, sicut inquit in nobis dispositio ultima ad gratiam habitualement, eam non meretur, ut in Tractatu de justificatione & merito docuimus.

Disput. 2.
art. 7.

144. Sed haec solutiones non placent: quia ad rationem praemij non requiritur quod tempore meritum sequatur, nam augmentum gratiae respondens actibus habitu intensioribus ut praemium, simul tempore existit cum illis: Ergo ob defectum praecedentiae temporis ad gratiam habitualement, non redduntur actus Christi quibus ad eam se disposuit, insufficientes ut sint merita condigna illius. Ex quo confutata manet secunda solutio, nam dispositio concomitans, licet non antecedit formam, prioritate temporis, eam tamen praecedat prioritate naturae: At inter meritum & praemium, non requiritur necessariò prioritas temporis, sed sufficit prioritas naturae, ut patet in exemplo adducto: Ergo dato quod actus charitatis, quo Christus ad gratiam habitualement se disposuit, fuerit solum dispositio concomitans, & prioritate solum naturae eam antecedens, potuit nihilominus eam mereri de condigno.

Tertia etiam solutio displicet: Ideò namque dispositio ultima ad gratiam, illam non meretur in nobis, quia pro illo priori quo disponit ad illam, non procedit a subiecto grato: Sed actus disponens ad gratiam habitualement in Christo, pro priori quo intelligitur habitualement gratiam antecedere, intelligitur procedens a subiecto grato Deo, gratitudine substantiali, à gratia unionis procedente: Ergo ex eo quod pro illo prioritate actus gratiam habitualement non supponat, non redditur insufficientis ut sit meritum condignum illius. His ergo solutionibus praetermissis,

145. Respondeo primò, ideò Christum non meruisse gratiam habitualement, tametsi per proprios actus ad illam se disposuerit, quia ut illi actus connaturaliter elicerentur ab anima Christi, debuerunt procedere à gratia habituali, ut à principio quo, ut probando primam partem nostrae conclusionis dicebamus: unde licet illis actibus nihil desit sufficientiae meritoriae respectu gratiae habitualis, quia tamen principium meriti non cadit sub merito, illam de facto non meruerunt.

146. Secundo responderi potest, Christum per illos actus gratiam non meruisse, vel quia Deus non promisit illis habitualement gratiam ut praemium, vel quia Christus suos actus ad illam ut ad praemium non direxit: Christus enim non direxit suas operationes meritorias ut ad praemium, ad id omne ad quod habebant sufficientiam, & vim meritoriam: fuere enim sufficientes ad Incarnationem Patris merendam, quam tamen non meruere de facto, quia Christus illas ad ipsam ut ad praemium non direxit. Ideò verò Christus non direxit suas operationes ad gratiam habitualement promerendam, quia eam modo connaturali mereri non poterat, cum ad modum

Disput. 12.
art. 2.
par. 1.
concl. 3.

A connaturaliter merendi in Christo praesupponi debeat talis gratia, ut supra ostensum est.

Objicies secundo contra secundam partem conclusionis: Isaia 53. de Christo dicitur: *Quod laboravit anima eius, videbitur: & saturabitur per ly videbit, non potest alia visio, quam beatitudo, intelligi, cum illa sola satiet omnem hominum appetitum: Ergo juxta Scripturam, Christus meruit visionem beatificam, subindeque gloriam animae essentialem.*

Respondeo testimonium illud non intelligi de visione beatifica, sed de visione seminis laevi (id est conversionis Gentium, quae per meritum Christi receperunt adoptionem filiorum) ut patet ex verbis illis immediate praecedentibus. *Si posuerit pro peccato animam suam, vidit semen longevum, & voluntas Domini in manu eius fructus.* Unde saturatus illa Christi, de qua loquitur Propheta, ad fructum beatitudinis ferri non debet, sed ad multiplicationem filiorum, & Evangelij praedicationem pertinet, ut liquet ex verbis sequentibus: *In semine sua iustificabit ipse infusus servus meus multos, & qui rates eorum ipse portabit. Ideò disperiam ei parvos, & fortium dividet spolia pro eo quod traxit eam mortem animam suam.* Quae verba non nisi ad conversionem Gentium, & multiplicationem filiorum, quam Christus per meritum passionis

C Patre obtinuit, referri possunt.

Objicies tertio: Non est de ratione meriti quod tempore praemium praecedat, sed sufficit quod illud prioritate naturae antecedit, ut constat in merito augmenti gratiae, in vi actus habitu praesistente intensioris, quod simul tempore cum augmento quod meretur existit: Ergo ut Christus mereretur essentialem beatitudinem, non erat necessarium quod illi pro aliquo tempore vel instanti careret, sed potuit illam mereri per opera in primo conceptionis momento elicitae, & simul in eodem instanti esse beatus, & clare videre divinam essentialem, subindeque ratio Divi Thomae non videtur efficax.

Respondeo distinguendo Antecedens: De ratione meriti non habentis condiciones praemio oppositas, & cum illo impossibiles, concedo Antecedens. De ratione meriti habentis condiciones praemio oppositas, nego Antecedens, & Consequentiam: nam meritum gloriae essentialis, petit ex natura rei regulari cognitione fidei obscurae: fides autem & visio ejusdem objecti simul repugnant: Ideò meritum beatitudinis essentialis, prout ex lege communi, & attentis rebus circumstantiis concipitur, non potest simul tempore cum illa existere: si autem accidit in merito augmenti gratiae, quod non habet condiciones cum augmento gratiae impossibiles, ideòque non petit illud tempore praecedere, sed solum prioritate naturae.

E Dices primò: D. Thomas quodlibet 9. art. 2. docet Angelum in primo instanti fuisse beatum, & meruisse beatitudinem; & rationem reddit, quia licet in his quae successive fiunt, prius fieri quam factum esse, in his tamen quae simul fiunt, simul tempore est fieri & factum esse, cum illa prioritate naturae: Ergo sentit D. Thomas meritum essentialis beatitudinis non habere condiciones illi oppositas, aut cum illa impossibiles, quoad simultatem temporis, sed solum quoad similitudinem naturae.

Respondeo cum Bergomeni in tabella ante dubio 154. & cum Ferrarienti. 3. contra Gen. cap. 1. 10. D. Thomam loco citato non fuisse beatum

locutum ex propria, sed ex aliorum sententia. A
Quod ut fiat manifestum, Advertendum est, S.
Doctorem inquirere, utrum Angeli suam bea-
titudinem meruerint? Circa quod tres refert
sententias: Primam, asserentem Angelum in pri-
mo suae creationis instanti fuisse beatum. Secun-
dam, docentem fuisse omnes Angelos in gratia
creatos, & perseverantes in illa, beatitudinem
meruisse, & hanc sequitur D. Thomas. Tertiam,
asserentem fuisse Angelos in puris naturalibus
conditos, & conversis ad Verbum, simul colla-
tam fuisse beatitudinem & gratiam: pro cuius
sententiae defensione refert tres modos dicendi,
& solum approbat tertium, quem in objectione
adduximus, non quidem ex propria sententia
(elegerat enim secundam) sed tertiā sententiā
suppositā, quam ipse non sequebatur.

117. Dices secundo: D. Thomas ex eodem princi-
pio (nimirum quod meritum & premium non
possunt simul in eodem instanti existere) infert
Christum non solum meruisse gloriam essentia-
lem animae, sed nec etiam gratiam, nec scien-
tiam: Sed meritum gratiae, licet petat regulari
per fidem, non inde tamen habet condiciones
cum gratia incompatibiles, fides enim cum illa
potest componi: Ergo incompatibilitas de qua
loquitur D. Thomas, nascitur ex ratione meriti
incommuni, ut cum premio comparati.

118. Respondeo, concessā Majori, negando Mino-
rem: nam gratia de qua loquitur D. Thomas, est
gratia consummata, & in statu perfecto, qualiter
fuit Christo infusa in primo instanti concep-
tionis: gratia autem consummata nequit cum fide
componi. Item scientia de qua loquitur, est sci-
entia beata, vel scientia infusa, quarum utraque
pugnat cum fide, & cum ipsa impossibilis est.

§. IV.

Alia difficultas resolvitur.

Disco secundo: Potuit Christus, de potentia
absoluta, gratiam habituale, & beatitudi-
nem animae, habere ab initio conceptionis de
condigno mereri.

119. Probatur breviter: Potuit Christus de potentia
absoluta, gratiam habituale, beatitudinem es-
sentiali, non habitam ab initio conceptionis
mereri, ut fatentur omnes Theologi: Sed coexi-
stentia durationis non repugnat essentialiter in-
ter meritum & premium, ut constat in augmento
gratiae dato in premium actuum intentionum habi-
bitum, quod simul tempore cum premio existit:
Ergo Christus potuit, de absoluta potentia, me-
reri de condigno gratiam habituale, & beati-
tudinem animae: tamen illas ab initio concep-
tionis habuerit. Hae conclusio magis patebit ex
solutione argumentorum, ex illa enim constabit,
id nullam implicare contradictionem, subin-
deque non esse denegandum divinae omnipoten-
tiae.

120. Arguunt ergo Adversarii contra istam conclu-
sionem multipliciter. In primis enim contra illā
sic insurgunt. Implicat subjectum aliquod esse in
termino, & ad terminum moveri: Sed anima
Christi Domini constituitur per beatitudinem
essentiali in termino, & per meritum move-
retur ad illam: Ergo implicat esse in primo in-
stanti beatam, & mereri propriā beatitudinem.

121. Secundo, Non stat moveri per meritum ad bea-
titudinem, nisi mediante actu spei de premio
obtinendo per meritum: Sed implicat spem bea-
titudinis, simul in eodem instanti cum ejus frui-

tione existere: Ergo implicat Christum à primo
conceptionis instanti esse beatum, & in eodem
instanti mereri beatitudinem.

Tertio, Beatitudo cum unione hypostatica
per modum passionis convertitur: Ergo impli-
cat Christum mereri beatitudinem, nisi etiam u-
nionem hypostaticam mereatur: Sed istam me-
reri non potuit, etiam de absoluta potentia, ut
disp. 7. ar. 2. ostensum est: Ergo nec illam potuit
mereri, etiam de potentia Dei extraordinaria.

Quarto, Non potest dari dilectio in Christo,
coexistens cum visione beatifica, nisi reguletur
per ipsam, vel per cognitionem illam supponen-
tem: Sed implicat actum regulatum visione bea-
tificā, vel notitiā illam supponente, esse merito-
rium beatitudinis: Ergo implicat Christum esse
beatum à primo instanti conceptionis, & mereri
beatitudinem. Minor patet, Major autem in qua
est difficultas, sic ostenditur. Omnis actus vo-
luntatis petit pro regula aliquem actum intelle-
ctus: Sed dilectio Dei simul existens cum visione
beata, regulari nequit cognitione obscurā fidei,
cum implicet existere simul cognitionem cla-
ram Dei, & cognitionem obscuram: Ergo non
potest dari actus dilectionis in Christo coexi-
stens cum visione beata, nisi vel visione beata,
vel notitiā scientiae infusae, illam supponente re-
guletur. Consequentia patet, tres enim solum
possunt dari cognitiones Dei, ut auctoris super-
naturalis, nimirum cognitio obscura fidei, visio
beata, & notitiā scientiae infusae: unde si actus di-
lectionis à Christo in primo conceptionis mo-
mento elicitus, regulari nequeat cognitione fi-
dei obscurā, visione beatificā, vel notitiā scien-
tiae infusae, necessariò regulari debet.

Denique, Principium meriti non potest cade-
re sub merito Sed gratia habitualis fuit in Chri-
sto principium meriti: Ergo non potuit cadere
sub merito.

Hae tamen, licet aliquid difficultatis praese-
ferant, evidenter tamen non ostendunt implica-
re contradictionem, quod Christus beatitudi-
nem animae, quam ab initio conceptionis ha-
buit, de condigno promeruerit. Unde ad primū
respondeo, Majorem esse veram de motu suc-
cessivo, falsam autem de motu seu mutatione
instantanea: meritum autem non in motu suc-
cessivo, sed in instantanea actione consistit & i-
deo nulla est implicatio quod simul cum motu
per meritum existeret beatitudo, quae est prae-
mium & terminus meriti, ut liquet in merito
augmenti gratiae, quod simul cum illo existit.

Ad secundum dicendum quod licet de lege
ordinaria Dei non stet meritum beatitudinis,
absque spe illam consequendi, ostendi tamen
non potest id esse impossibile de potentia abso-
luta: sicut de lege ordinaria non stat meritum
beatitudinis essentialis, sine actu fidei, & tamen
E de potentia absoluta, potest dari sine illo; & me-
ritum beatitudinis corporis, sine actu spei non
invenitur, loquendo de lege ordinaria, & ta-
men in Christo sine tali actu datur.

Ad tertium, dato Antecedente (quod plures
ex Thomistis negant, existimantes gratiam ha-
bituale, & beatitudinem animae Christi, non
dimanare physice ad modum passionis à gratia
unionis) nego Consequentiam: esto enim ita ef-
ferretur, quod beatitudo animae Christi à gratia unio-
nis physice dimanaret, ut proprietates ab essentia,
non ideo tamen implicaret Christum mereri vi-
sionem beatificam, absque eo quod unionem

Pppp 2 hypo-

Tom. IV.

hypostaticam mereretur: nam licet connaturaliter essentia & proprietates fiant ex vi ejusdem actionis, & ex vi ejusdem decreti, possunt tamen, de potentia absoluta, distinctas actiones & diversa decreta terminare: Ergo quamvis beatitudo consequeretur gratiam substantialem unionis, ut vera & propria ejus passio, & repugnet gratiam unionis cadere sub merito Christi, posset Christus de potentia absoluta mereri essentialem beatitudinem: gloria enim corporis non minus ad gloriam animæ sequitur, quam hæc ad gratiam unionis, & tamen de facto Christus meruit beatitudinem corporis, & non meruit beatitudinem animæ.

164. Ad quartum respondeo, negando Majorem, ad cuius probationem dico, actum dilectionis in Christo, coexistentem visioni beatæ, regulari scientiâ infusâ: licet autem talis scientia sit ex natura rei posterior visioni beatæ & dependens ab illa, hæc tamen dependentia essentialis non est, & per consequens non implicat prius naturâ talem scientiam Christo infundi, quàm lumen gloriæ & visionem beatificam; subindeque notitiâ scientiæ infusæ, sic de potentia absoluta ad visionem præexistente, potest regulari actus dilectionis in Christo; qui cum in tali casu, etsi visioni coexisteret, ab illa nec immediate nec mediate dependeret, meritum illius esse posset.

165. Dices, Notitiâ Dei habita per scientiam infusam anteverrens visionem beatam, & independens ab illa, necessariò eius obscura: Sed implicat obscura cognitio visioni beatificæ coexistens: Ergo implicat notitiâ regulans dilectionem in Christo, coexistentem visioni beatificæ, quæ ab illa sit independens. Minor patet, Major verò suaderetur. Scientia per se infusâ subalternatur visioni beatificæ: Atqui actus scientiæ subalternatur, non potest esse evidens, sed necessariò est obscurus nisi subordinetur scientiæ subalternanti, ut communiter Philosophi docent: Ergo cognitio scientiæ infusæ, non subordinata visioni beatificæ, sed independens ab illa, evidens esse non potest, sed necessariò est obscura, subindeque cum visione beatâ impossibilis.

166. Respondeo negando Majorem, ad cuius probationem, nego etiam Majorem: idè enim Theologia nostra scientiæ beatorum subalternatur, quia habet Deum pro objecto primario, sicut scientia beatâ; & conclusiones, nempe attributa divina erga quæ versatur, primariò deducit ex divina essentia, ut cognita clarè in se ipsa, vel ut cognita obscurè per fidem: scientia autem per se infusâ, non habet pro objecto primario Deum, sed ens creatum, ut in se & ratione sui supernaturaliter cognoscibile, per speciem propriam illum in se representantem: nec Dei proprietates demonstrat, nec conclusiones ex principiis cognitis per visionem beatificam deducit; unde non subalternatur scientiæ beatæ, subindeque præcedere ad illam, claritatem & evidentiam habere potest.

167. Ad ultimum dicendum quod licet de facto gratia habitualis fuerit in Christo principium meriti, & necessaria ad merendum connaturali modo; de potentia tamen absoluta actus meritorij potuerunt procedere in Christo, à sola gratia unionis, & auxilio actuali supernaturalis ordinis, ut supra disp. 12. art. 2. §. 2. conclusione 3. ostensum est.

ARTICULUS VI.

An Christus gloriam sui corporis, (sive nominis exaltationem sibi meruerit?

§. I.

Error Calvini refertur, & variis scripturæ testimoniis, nec non ratione D. Thomæ refellitur.

Calvinus lib. 2. instit. cap. 17. §. 6. affirmat Christum Dominum, nihil sibi meruisse gloriam corporis, nec nominis exaltationem, sed omnia merita sua ad nos ordinasse, ut sic magis exemplum quo homines proficiantur amorem ostenderet; reprehenditque Lombardum & Scholasticos, eosque curiozitate & temeritate arguit. quòd oppositum docere & Christum non solum nobis, sed etiam sibi meruisse pronuntient. Verùm hæc doctrina Calviniana, non solum temeraria, sed etiam prorsus erronea est, & Scripturæ ac SS. Patribus aperte repugnat, unde ut confutetur, & Catholica veritas stabilatur,

Dico breviter: Christus gloriam sui corporis, sive nominis exaltationem, sibi promeruit.

Probatur primò conclusio variis Scripturæ testimoniis, quæ illam aperte demonstrant: citatur enim Lucæ 24. Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? corporis scilicet,

nam gloriam animæ a primo conceptionis momento possidebat. Ad Hebræos 2. Vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloriam & honorem coronatum. Ad Ephef. 4. Quod autem ascendit, quid est nisi quod descendit in inferiores partes terræ? Ubi ascendit in cælum, descendit per humilitatem tribuitur.

Item idem Apostolus ad Philip. 2. de Christo loquens sic ait: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis propter quæ Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genua flectatur &c. Quibus verbis Apostolus (ut ibidem

observat S. Thomas) commendat præmium humilitatis Christi, per quam meruit sibi exaltationem, quantum ad tria: nimirum quantum ad gloriam resurrectionis, ut denotatur per illa verba: Propter quod & Deus exaltavit illum. Quod

manifestatione suæ divinitatis, ut designatur per illa sequentia, Et donavit illi nomen quod est super omne nomen. Et quoad reverentiam totius creaturæ, ut denotant illa alia verba: Vi in omni nomine Iesu omne genua flectatur, cælestium, & infernorum.

Nec admittenda est evasio Calviniana, quia ad prædicta testimonia respondet, quod in illis solum significatur simplex affectus gloriæ corporis post mortem & passionem Christi, non autem causa meritoria, Quis enim non videt quod illa particula propter, quæ utitur Apostolus, causalitatem veram denotat, quæ non potest esse alia quam meritoria?

Id magis constabit ex per celebri Prophetæ Regij testimonio, qui Psalm. 109. exaltationem Christi in resurrectione & ascensione, & gloriosissimū ejus triumphum, ascribendum esse tantum præcipuæ causæ meritorie, ipsius humilitati, laboribus, gravissimisque acerbissimæ passionis doloribus, his verbis declarat: De terris

in via bibet, propterea exaltabit caput. Torrentem A
appellat, cuius rerum humanarum: quomodo
enim torrens magno impetu & sonitu fluit, &
turbidus ac turbatus incedit; & paulo post
cellas, & ne vestigium quidem sui relinquit: sic
sunt res humanae tempore huius mortalitatis;
transiunt enim omnia, & ut plurimum turbida
& turbata: audiuntur saepe maxima praelia, &
turbationes gentium & populorum, ut tempo-
re Alexandri Magni Caesaris, Gustavi Suetio-
rum Regis, & similibus: sed paulo post finem
accipiunt, tunc ipsi, tunc posterius eorum, & vix
inveniuntur vestigia potentiae ipsorum. Ad
hunc torrentem descendit filius Dei per Incar-
nationem istam, & in via, id est in spatio vitae
mortalis & transeuntis bibit aquam turbidam
huius torrentis, tulit a rumnas nostrae mortali-
tatis, imò etiam in profundum torrentis descen-
dit per passionem, iuxta illud Psal. 68. *Intra-
vunt aquae usque ad animam meam, infusus sum in
limbo profundis, & non est substantia.* Merito igitur
huius tantae humiliationis sponte susceptae pro
gloria Patris, & salute generis humani, & gra-
vissimorum dolorum, quos pertulit, pertransen-
do torrentem mortalitatis nostrae, exaltavit
postea caput in resurrectione & ascensione sua,
triumphans de hostibus in aeternum, sedensque
ad dexteram Patris, & constitutus iudex vivo-
rum & mortuorum. Unde Tertullianus lib. de
corona militis: *Christus foveo post fella gustavit, nec
ante & a gloria in coelestibus salutat, quam Rex Ju-
dæorum proscriptus in cruce.* Et Augustinus Tract.
10. in Joan. humilitas claritatis est meritum, cla-
ritas humilitatis est premium. Quam claritatem
Christus a Patre petebat Joan. 17. his verbis:
*Ego te clarificavi super terram, opus consummavi,
quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu
Pater.* Hinc etiam D. Bernardus serm. 3. de As-
censione Domini infert, Deum, licet naturam suam
perfectionis sit, & nihil ipsi ad augmentum ac-
cedere possit, nec ad decrementum decedere,
modum tamen per Incarnationem invenisse,
quo proficeret. Christus (inquit) cum per naturam
divinitatis non haberet, quod cresceret, ascendere, vel
proficere per descensum, quomodo cresceret, invenit,
veniens incarnari, pati, mori, ne moteretur in ater-
num: propter quod Deus exaltavit illum.

Probat secundò conclusio ratione D. Tho-
mae hic art. 3. Habere aliquid per meritum, di-
gnus & perfectus est, quam illud habere sine
merito, si cetera sint paria: hoc est si maioris di-
gnitatis detrimentum non sequatur. Sed potuit
Christus habere ex merito gloriam sui corpo-
ris, & sui nominis exaltationem; nec sequitur
ex hoc detrimentum maioris alienius dignita-
tis. Ergo utramque Christus meruit.

Confirmatur: Actibus Christi Domini nulla
ex conditionibus ad meritum requisitis defuit
in ordine ad gloriam corporis, & alia illa non
sequebantur ex parte principij meriti, sicut unio hy-
postatica & gratia habitualis: Illam etiam ab
initio conceptionis non habuit, sicut gloriam &
beatitudinem animae; sed ea caruit toto tempo-
re vitae mortalis, ut locus redemptioni homi-
num per passionem & mortem daretur: Ergo
licet Christus unionem hypostaticam, gratiam
habitualmente, & gloriam animae non meruerit,
gloriam tamen corporis morte & passione sua
sibi promeruit. Idemque de nominis sui exalta-
tione dicendum est. Unde Apoc. 5. dicitur *Di-*
gnus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & di-

gnitatem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem,
& gloriam & benedictionem. Quia omnia pertinent
ad nomen exaltationem, atque gloriam cor-
poris ipsius Christi, & resurrectionis ejus, in qua
divinitatem accepisse dicitur, quia in ea facta
fuit reunio totius humanitatis cum Verbo, &
veluti quaedam restitutio unionis hypostaticae,
ut alibi declaravimus. Notandum vero sunt par-
ticulae illae *dignus, & qui occisus est*, quae denotant
mortem & passionem Christi fuisse causam me-
ritariam suae resurrectionis, & exaltationis. Un-
de perinde est dicere, *Dignus est qui occisus est*: ac
dicere, *Dignus est, qui occisus est*; unde paulo ante
propter eandem rationem dicitur: *Dignus es Do-*
mine accipere librum, & aperire signacula ejus,
QUONIAM OCCISUS ES.

§ II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò cum Calvino: In sacris litte-
ris non assignatur alia causa adventus Chri-
sti, quam nostra salus & redemptio, ut supra dis-
p. 5. varijs Scripturae testimonijs declaravimus: Ac
si Christus meruisset sibi gloriam corporis, &
exaltationem sui nominis, sola causa adventus
ejus in mundum, non fuisset nostra salus & re-
demptio, sed etiam proprium commodum &
utilitas, nimirum gloria sui corporis, & exalta-
tio sui nominis: unde magis pro te incarnatus &
mortuus esset, quam pro hominibus, ut olim
contra Arium arguebat Cyrillus lib. 3. the-
sauri cap. 2. ubi sic ait: *verò, ut ipsi dicunt, exalta-
tus post incarnationem est filius Dei, & factus subli-*
mus, quod antea non habebat, pro se magis incarnatus
esset, quam pro hominibus, sibi enim magis secundum
vos pro ut, quam hominibus: ita non pro nostra salute
magis, quam ut ipse exaltaretur, nomenque maxi-
mum assequeretur, homo factus esset. Addit Calvi-
nus, quòd si Christus aliquid sibi meruisset, di-
lectio ejus erga homines frigeretur; nam qua-
rens ex suo merito propriam utilitatem, non ita
diligit illum, cui aliquid donum meretur, ac si
nihil utilitatis sibi ex tali motivo quaereret.

Respondeo quòd licet finis primò & princi-
paliter intensus per adventum Christi fuerit sa-
lus nostra & redemptio, hoc tamen non obstat,
quin Christus secundario & minus principaliter
potuerit intendere gloriam sui corporis, suaeque
nominis exaltationem, & ad illam obtinendam
merita sua secundario ordinare. Exemplum ha-
bemus in Angelis, quibus Christus illuminatio-
nes & gaudia quaedam accidentaliter promeruit,
sicut hominibus gratiam & gloriam essentia-
lem: cum hac tamen differentia, quòd humanitas
Christi (ut ait S. Thomas qu. 29. de verit. art. 4.
ad 5.) ordinatur ad influentiam, quam facit in homi-
nes, ut ad finem intantum: influxus autem in Ange-
los non est finis incarnationis, sed tanquam incarnati-
onem consequens. Ita similiter dicimus, quòd Chri-
stus licet morte & passione sua meruerit sibi
gloriam corporis, & nominis sui exaltationem;
hoc tamen non fuit de primaria ejus intentione,
praecipua enim passionis suae causa fuit nostra
redemptio. Unde quemadmodum Christus
pro Angelis non dicitur incarnatus, vel mortuus,
ita nec propter se venisse, & mortuum esse
assumari potest, nam iste modus loquendi de-
notat primum & praecipuum, mortis, adventus,
& passionis Christi finem ac motum.

Neque urget contra hanc responsionem dis-

Pppp 3

cursus

curfus Cyrilli in objectione adductus: argum-
tatur enim ille contra Arrianos, qui ponebant
Christum non esse verum Deum, sed purum homi-
nem, & per gratiam atque propria merita si-
bi acquisivisse tantam dignitatem, ut esset super
omnes alias creaturas, haberetq; quendam con-
junctionis modum ad ipsam divinitatem. Con-
tra quem errorem efficax erat Cyrilli argumen-
tum: nam homo ille Christus ab illis hæreticis
confictus, certe venisset pro se primò in mun-
dum ad acquirendum illud tantæ, tamq; excel-
lentis dignitatis fastigium, subindeque pro se
magis incarnatus esset, quàm pro hominibus.

Ex his patet charitatem Christi erga homi-
nes non refrigerare (ut ineptè objicit Calvi-
nus) sed potius mirum in modum resplendere
ex eo quòd gloriam sui corporis sibi meruerit:
cum enim gloria corporis esset ipsi connaturali-
ter debita, & ex unione hypostatica, ac gloria
animæ naturali quadam sequela profluere &
dimanare debuisset; voluit tamen Christus ob-
sumum, quo prosequeretur homines, amo-
rem, continuò miraculò, sui que concursus su-
spensione, redundantiam & effluxum gloriæ ex
anima in corpus impedire, ut locus redemptioni
hominum per passionem & mortem daretur,
suoque nos instrueret & informaret exemplo,
non nisi per multas tribulationes posse nos in-
trare in regnum celorum.

Objicies secundò: Christus non meruit glo-
riam essentiali animæ: Ergo nec gloriam cor-
poris. Probatur Consequentia, nam cum duo
per modum essentiæ & proprietatis se habent,
unum non potest obtineri per meritum sine al-
tero: Sed gloria corporis sequitur ad gloriam
animæ per modum propriæ passionis: Ergo si
Christus gloriam animæ non meruit, nec glo-
riam sui corporis potuit promereri.

Respondeo concessio Antecedente, negando
177. Consequentiam; & ad illius probationem, di-
stinguo Majorem: cum duo per modum essentiæ
& proprietatis se habent, unum non potest obti-
neri per meritum sine altero: si simul utrumque
fiat, concedo Majorem. Si essentialia habita suppo-
natur sine sua propria passione, nego Majorem,
& datà Minori, nego Consequentiam. Nam glo-
ria animæ supponitur ab initio conceptionis
possessa à Christo sine gloria corporis, ut dare-
tur locus redemptioni hominum per passionem
& mortem, & ideo quamvis gloria corporis se-
quatur ad gloriam animæ tanquam propria pas-
sio (quod a pluribus negatur) potuit Christus
gloriam corporis, quia non fruebatur mereri ab
que eo quòd gloriam essentiali animæ mere-
retur.

Objicies tertio: Gloria corporis erat debita
178. Christo titulo connaturalitatis, non solum rati-
one gloriæ animæ, sed etiam ratione unionis
hypostaticæ: At quòd est debitum alicui titulo
connaturalitatis, non potest fieri iterum ei de-
bitum titulo justitiæ, nec consequenter per me-
ritum: Ergo Christus gloriam sui corporis pro-
mereri non potuit.

Respondeo, concessa Majori, negando Mino-
rem: non enim est inconveniens, ut illud, quòd
Christo alias debebatur titulo connaturalitatis,
si illud non habuit à principio, postea etiam per
meritum proprium acquirat; nec enim duo illi
tituli sunt impossibiles, vel se invicem ex-
cludentes; ut patet in humanis; nam filius Re-
gis præclaris gestis, dignis coronâ & imperio,

A mereri potest regnum alias sibi hæreditario
debitum. Idem dicendum de Christo, nam Pater
2. Pater æternus ei dicit: *Postula à me, & dabo
tibi Gentes hereditatem tuam* &c. ubi id quòd hæ-
reditario jure Christo debebatur, titulo orati-
onis & deprecationis confertur.

§. III.

Corollaria precedentis doctrinæ.

EX dictis infero primò contra Scotum: Chri-
stum verè, & propriè, ac directè meruisse
gloriam sui corporis, & non tantum ablationem
impedimenti, quo gloria animæ detinebatur, &
prohibebatur, ne redundaret in corpus.

B Patet hoc corollarium: Primò quia de factò
nullum fuit impedimentum extrinsecum deti-
nens gloriam animæ, ne transiret ad corpus, sed
solum detinebatur per subtractionem consen-
sus divini: Ergo non meruit remotionem impe-
dimenti.

Secundò, Dato adfuisse positivum impe-
dimentum, non sequitur Christum illud directè
per se primò meruisse: Ergo ruit sententia Scoti.
Consequentia patet, Antecedens probatur. Si
aliquis directè meretur, quòd primò cadit in me-
rentis & præmiantis intentionem: Sed elio ad-
fuisse positivum impedimentum, intentionem
Christi merentis & Dei præmiantis per se
primò tendebat ad gloriam corporis: Ergo ad-
huc tali impedimento admisso, non sequitur
Christum gloriam sui corporis directè, & per se
primò non meruisse.

Tertiò, Verba Scripturæ attribuentia Christo
meritum gloriæ sui corporis, sunt in proprietate
accipientia: Sed mereri solum impedimentum re-
motionem, non est cum proprietate gloriæ cor-
poris promereri, cum removens prohibens, di-
catur solum per accidens & improprie causa ef-
fectus: v.g. tollens impedimentum quo lapis de-
tinetur ne descendat in centrum, non dicitur
proprie motum lapidis causare: Ergo Christus
verè & propriè ac directè meruit gloriam sui
corporis, & non solum ablationem impedimen-
ti quo gloria animæ detinebatur, & prohibeba-
tur ne redundaret & resiliet in corpus.

D Infero secundò: Christum obtinuisse suis me-
ritis judiciariam potestatem, regiam, ac sacer-
dotalem dignitatem, & supremum omnium re-
rum dominium, non tamen dignitatem capiti
Ecclesiæ.

Probatur breviter hoc corollarium, quantum
ad tres primas partes: Nam ex triplici capiti
capite potuit provenire quòd Christus prædictas
dignitates non mereretur, vel quia sunt debite
connaturaliter, vel quia in primo instanti fuerunt
illi collatæ, vel quia non pertinet ad dignitatem
Christi habere illas ex merito: Sed nullum horum
dici potest: Ergo Christus prædictas digni-
tates meruit. Minor quoad primam partem pa-
tet ex supra dictis, nam optimè stat aliquid esse
debitum connaturaliter Christo, & tamen cade-
re sub merito, ut patet de gloria corporis.
Quoad secundam etiam constat ex fundamen-
tis articulo precedenti statutis, nam ut ibidem
ostendimus, aliquid potest simul esse cum præ-
mio in eodem instanti reali, cum sola præcedens
natura, ut liquet in merito augmenti habendi
charitatis per actus ferventiores. Quoad ter-
tiam pariter videtur manifesta, quia ad man-
nam Christi perfectionem pertinet, non
solum prædictas dignitates habere connat-
uraliter.

aturaliter ex vi unionis hypostaticæ, sed etiam eas proprio merito acquirere: sicut gloriam corpori: non solum titulo connaturalitatis sed etiam titulo meriti & iustitiæ eam obtinuit.

Quarta verò pars, quæ asserit Christum dignitatem capitis Ecclesiæ non habuisse per meritum, docetur à Cipitillo hic dubio 11. versùs finem, potestque breviter suaderi, tum ex eo, quod dignitas capitis competit Christo ratione gratiæ habitualis, ut supra docuimus: Sed Christus gratiam habitualement non meruit, ut ostendimus art. præcedenti: Ergo nec dignitatem capitis. Tum etiam quia omnis actus meritorius Christi processit ab illo ut capite morali: Sed quod ex parte principij merita Christi processit, sub illius merito non cadit: Ergo Christus dignitatem capitis non meruit.

ARTICULUS VII.

An Christus omnes effectus prædestinationis nobis meruerit?

Certum est, Christum non sibi tantum, sed etiam nobis meruisse: ut enim dicitur D. Thomas hic art. 4. in Christo fuit gratia non solum ut in homine singulari, sed etiam ut in capite totius Ecclesiæ, unde fuit in corpore naturali caput sentit sibi & omnibus membris, ita in corpore mystico Ecclesiæ, Christus non solum sibi, sed etiam alijs meruit. Solum ergo difficultas est, an meritum Christi respectu nostri ita sit perfectum & universale, quod ad omnes nostræ prædestinationis effectus, se extendat? Pro resolutione sic

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Christus meruit nobis omnes prædestinationis effectus: hoc est gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, dispositiones proximas & remotas ad gratiam, imò & bona temporalia, quatenus ordinantur ad supernaturalia.

Probatur primò ex Scriptura: Ait enim Apostolus ad Ephes. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in caelestibus, in Christo.* Ubi, ut notat D. Thomas cum Ambrosio & alijs SS. Patribus, particula *in* ponitur pro particula *per*, quæ denotat causam efficientem moralem, sicut quando idem Apostolus in eodem cap. ait: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo, idem sonat ac si diceretur: Per dilectum Filium suum.* Et cum subdit: *In quo habemus redemptionem, idem significat, ac Per quem habemus redemptionem.* Unde sensus verborum Pauli est, Deum per Christum, seu per Christi meritum omnem spirituales benedictionem nobis contulisse: Sed omnis effectus nostræ prædestinationis, omneque bonum supernaturale, quod nobis confertur, est spiritualis benedictio: Ergo Christus omnes effectus nostræ prædestinationis, & omnia bona & dona supernaturalia nobis meruit.

Confirmatur ex illo Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quo in loco, ut observat Chrysostomus ibidem homil. 17. & Augustinus Tract. 3. in Joan. denotatur omnia bona spiritualia esse in nobis per Christum. Et sane id colligitur ex illis verbis: *gratiam pro gratia*, nam secundum phrasin He-

braicam significant omnem gratiam, à prima usque ad ultimam, esse per Christum, ut patet ex illo Job. 2. *Pellem pro pelle dabit homo pro anima sua*, id est omnem pellem: ac si diceretur, à primo bono usque ad ultimum, & à minimo bono usque ad maximum & pretiosissimum, permittet homo se spoliari, ut vitam tueri possit.

Probatur secundo conclusio: Christus nobis meruit quicquid Adamus demeruit, alias non superabundaret gratia Christi Salvatoris. ubi abundavit delictum: Sed Adamus nobis demeruit carentiam omnium effectuum prædestinationis, omniumque bonorum & donorum supernaturalium: Ergo Christus illa omnia nobis promeruit.

Probatur tertio: Christus nihil influit in homines, nisi quod illis meruit: Sed omnes effectus prædestinationis, & omnia dona supernaturalia, quæ sunt in hominibus, sunt ex ipsius Christi influxu: Ergo nobis per ejus merita conferuntur. Major patet: nam Christi efficientia in homines non plus se extendit, quam ejus meritum; imò per suum meritum habet quod in homines influat. Minor verò, præterquam quod ex testimonijs Scripturæ supra adductis aperte colligitur, hac ratione suadetur. Gratia fuit in Christo sicut in universali principio in genere habentium gratiam; Christus enim propter immediatam unionem humanitatis ad Verbum debebat habere ipsam gratiam in perfectissimo gradu, & quia erat redemptor & sanctificator hominum, oportebat quod haberet gratiam in alios redundantem, quod est habere illam per modum principij in genere habentium gratiam: Sed virtus primi principij alicujus generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, ut patet in Sole, cujus virtus ad omnes rerum inferiorum generationes se extendit, quia est causa universalis generationis: Ergo omnes effectus prædestinationis, & omnia bona supernaturalia, quæ sunt in nobis, ex Christi influxu procedunt. Unde præclare Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quidquid sapientia, quidquid virtus habere confidat, Dei virtuti, Dei sapientia deputa Christo.* Et ante initio sermonis dixerat: *Origo fontium & fluminum mare est, virtutum & scientiarum Dominus Iesus Christus.*

Confirmatur: Christus, quoad influxum supernaturalem quem in nos habet, comparatur capiti, & viti: unde Tridentinum sess. 6. cap. 16 ait: *Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, &c.* Sed palmites nihil habet nisi dependenter à vite, & membra corporis humani, in omnibus suis motibus & operationibus vitalibus, à directione & influxu capitis dependent: Ergo pariter nihil boni supernaturalis est in nobis, nisi dependenter à Christo, & ex ejus influxu.

Denique suaderi potest conclusio hac ratione: Attribuendum est Christo quicquid excellentiæ & dignitatis est, nisi vel in se repugnet, vel oppositum revelatum sit: Sed Christum suo merito omnes prædestinationis effectus efficienter moraliter seu meritorie in nobis causare, excellentiæ est & dignitatis, & in se non repugnat, nec oppositum revelatum est: Ergo asserendum est Christum omnes prædestinationis effectus nobis meruisse. Unde Ecclesia in collectis, sive perat gratiam, sive auxilia supernaturalia, sive bona temporalia, ut ad salutem æternam con-

conducunt, concludit semper, Per Dominum nostrum Jesum Christum, ut significet, hæc omnia nobis ex meritis Christi donari.

189. Confirmatur: Christi meritum, utpote infinitum, potuit ad omnes nostræ prædestinationis effectus, omniaque bona & dona supernaturalia se extendere; & cum Christus sit redemptor & sanctificator hominum, congruum fuit, ut ad omnia, quæ pertinent ad ordinem redemptionis, & nostræ prædestinationis, merita sua dirigeret & ordinaret: Ergo nulla ratione videtur negandum, Christum omnia dona supernaturalia, omnesque prædestinationis effectus nobis meruisse.

§. II.

Solvuntur objectiones.

190. **O**bjicies primo: Si Christus meruisset nobis gratiam, fidem, & alia dona supernaturalia, illa non darentur nobis gratis, sed ex iustitia: At hoc dicit nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, quod enim datur alicui titulo meriti, datur per modum præmij & mercedis: quod verò datur alicui ut merces, non datur gratis, sed debito iustitiæ, ut patet ex illo ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Minor etiam constat ex illo ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius:* quibus verbis gratiam iustificatorem dari merè gratis docet Apostolus. Idem asserit Augustinus de *sermone* Sancti. cap. 15. de fide qua Christiani sumus, ait enim quod eâ gratiâ ab initio fidei sue sit homo quicumque Christianus, quâ homo ille ab initio factus est Christus: Sed ille homo factus est Christus absque suis meritis ex sola libera Dei voluntate: Ergo etiam nos ex eadem libera voluntate facti sumus Christiani, id est credentes in Christum, atque adeo fides, quæ ad iustificationem requiritur, non datur nobis ex meritis secundum mentem Augustini.

191. **R**espondeo distinguendo Majorem: Si Christus nobis meruisset gratiam, fidem, & alia dona supernaturalia, hæc non darentur merè gratis, per respectum ad merita Christi, concedo Majorem: comparative ad nostra merita, nego Majorem. Ad Minorem similiter dicendum, loca Scripturæ, quibus dicitur nos iustificari gratis, intelligenda esse per respectum ad nos, non verò per respectum ad Christum; quamvis enim nullis nostris præcedentibus meritis gratia iustificationis conferatur, nobis tamen datur ex meritis Christi. Idem vult Augustinus, cum ait, quod eâ gratiâ homo à principio vitæ suæ fit Christianus, quæ Dei Filius factus est Christus, excludit enim merita nostra respectu nostræ vocationis, non autem merita Christi; ibi enim impugnat Pelagianos, qui docebant nos posse credere & iustificari ex viribus liberi arbitrij. Excludit enim libidinem merita Christi respectu Incarnationis ejus, ait enim: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit?* Respondeatur quæso: ille homo ut à Verbo Patri coeterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Ecce infra: *Quisquis in capite nostro præcedentia merita illius generationis*

invenerit, ipse in nobis membris ejus prædestinationem multiplicata regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed retribuitur ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu Virgine nasceretur. Sic & nobis ut ex aqua & spiritu renasceremur, non retribuitur pro aliquo merito, sed gratis tributum &c.

Objicies secundò: Apostolus ad Romanos loquens de Christo ait: *Traditus est* (scilicet in mortem) *propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram:* Ergo iustificationem nostram provenit ex vi mortis Christi, sed ex vi resurrectionis ejus: At resurrectio Christi non operatur per modum meriti, sed solum per modum causæ physice instrumentalis; cum Christus per mortem suam non meruerit, ut supra art. 1. ostensum est: unde D. Thomas infra qu. 56. art. 1. ad 3. dicit quod resurrectio Christi non est propriè loquendo causa meritorie attribuitur: quod verò Apostolus ait quod Christus resurrexit propter justificationem nostram, solum vult resurrectionem Christi esse causam exemplarem nostræ resurrectionis, ut docet D. Thomas super hunc locum Apostoli lect. 3. his verbis: *Mors Christi fuit nobis salutaris non solum per modum meriti, sed etiam per modum alicujus efficientiæ:* cum enim humanitas Christi esset quodammodo instrumentum divinitatis ejus, ut Damascenus dicit, omnes passionibus & actionibus humanitatis Christi fuerant nobis salutifera, utpote ex virtute divinitatis provenientes: sed quia effectus habet aliquantulum similitudinem causæ, mortem Christi, quæ extincta est in eo mortali vita, dicit esse causam extinctionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem ejus, quæ rediit ad vitam gloriam, dicit esse causam justificationis nostræ, per quam redimus ad novitatem iustitiæ. Et in hac parte qu. 56. art. 1. ad 4. sic habet: *Secundum rationem efficientiæ, quæ dependet ex virtute divinitatis, mors Christi, quàm etiam resurrectio est causa destructionis mortis, quàm reparationis vite.* Sic secundum rationem exemplariæ, mors Christi per quam recessit à vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ: resurrectio verò ejus, per quam inducit vitam immortalē, est causa reparationis vite nostræ: passio verò Christi est insuper causa meritoria.

Objicies tertio: Incarnatio Christi fuit pignus & potissimum nostræ prædestinationis effectus: Sed Christus suam Incarnationem non meruit, cum principium meriti non cadat sub merito, ut supra ostensum est: Ergo Christus non meruit omnes nostræ prædestinationis effectus. Major probatur: Omne quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, & consequenter est nostræ prædestinationis effectus: Sed Incarnatio Christi cum effectu ad finem prædestinationis nostræ maxime conducit: Ergo fuit à Deo ex hoc fine parata, & consequenter fuit nostræ prædestinationis effectus.

Respondeo, negando Majorem, ad cuius probationem, distinguo Majorem: Omne quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, si conducit ad illum ut medium ad finem, concedo.

negando Majorem: Si ad illud conducatur ut causa, nego Majorem: licet autem incarnatio Christi, eiusque merita efficaciter ad salutem electorum conducant, non tamen conducunt ut media, sed ut causa illius, ac finis beatitudinis nostrae, cum incarnatio & merita Christi nobiliora sint ac propinquiora, quam salus hominū, ut disp. Deo propinquiora, unde non praeprantur a Deo ex intentione & amore illius, nec per consequens sunt nostrae praedestinationis effectus.

Explicatur, & magis illustratur haec solutio: Non omne efficaciter conducens ad aliud, debet illius amore supponere, & ex illius intentione imperari, sed tantum quod ut medium affirmatur, cum enim medium ratione finis amatur, sicut conclusio ratione praemissarum cognoscitur, debet ut efficaciter eligatur, amorem efficacem finis supponere, & imperari ex illius efficaci intentione. sicut conclusio, quia ratione principiorum cognoscitur, ut certo cognoscatur, debet certam principiorum cognitionem supponere, & ut evidens sit conclusionis cognitio, praesupponi debet evidens principiorum notitia: causa verò etiam in ordine ad effectum amatur, non tamen ratione effectus amatur, & ideo illius amore non supponit, sed infert: unde cum incarnatio non ordinetur ut medium ad salutem electorum, sed sit illius causa & finis, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, ex illius intentione non fuit a Deo imperata, licet ad salutem hominum, ut ad finem cui ordinata fuerit, ut loco citato exposuimus.

Obijciat quare: Fides & spes sunt nostrae praedestinationis effectus. Sed Christus nec fidem nec spem nobis meruit: Ergo non meruit nobis omnes praedestinationis effectus. Major est certa, Minor probatur. Christus solum venit in mundum, ut ea recuperaret & mereretur, quae primus parens peccando sibi & nobis amisit: Sed primus parens peccando non amisit fidem, nec spem, cum istae virtutes non amittantur nisi per actus infidelitatis, & desperationis, quos Adamus peccando non eliciit: Ergo meritum Christi non se extendit ad motus fidei & spei, nec ad auxilia ad illos actus eliciendos necessaria.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem respondet Vazquez disp. 77. cap. 4. quod Adamus quando peccavit, revera amisit fidem, sicut Eva, quia eodem modo credidit dictum serpentis verum esse, videlicet: Nequaquam moriemini, & eritis sicut Dei. Nec obstat (inquit) quod Apostolus 1. ad Timoth. 2. dicat: *Vir non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit*. Hoc enim solum denotat, quod vir non est seductus primus, sed secundus, ut plures ex SS. Patribus exponunt. Vel ut alii volunt, his verbis tantum significatur, virum non fuisse seductum a serpente, sicut mulier, sed ab ipsa muliere. Idem docet Pererius in commentariis super Genesim, ad illa verba: *Deditque viro suum, & comedit*.

Melius tamen responderetur, quod licet Adamus non amisit suam fidem peccando, nobis tamen eam amisit, sicut & reliqua dona gratiae, quae in nos transfudisset, si non peccasset, atque adeo ad recuperandum ista omnia venit Christus, merendo nobis fidem ac spem, & reliquas dispositiones ad gratiam. Unde in Conc. Araus. 2. can. 27. dicitur: *Per peccatum primi parentis transiisse in nos naturam liberum arbitrium hominis, ut*

nec possit in Deum credere, nec sperare. Ex quibus verbis aperte colligitur, Adamum peccando, nobis fidem & spem amisisse. Et in hoc sensu intelligendus est S. Prosper, dum resp. 1. ad excerpta Genuesium probat contra Semipelagianos, fidem in posteris Adae perisse, nec nisi ex dono Dei, & per gratiam Christi, posse recuperari; quia Adam peccando perdidit fidem. & quidquid perdidit, posterius in ipso perdidit: *Quomodo enim (inquit) fides in Adam perditur, in quocumque filiorum eius inveniretur, nisi cum Spiritus Sanctus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet*. His enim verbis solum declarare intendit, quod Adam peccando amisit fidem pro nobis, & contraxit tunc debitum carenti illa, non quidem in propria persona, cum infidelitatis peccatum non commiserit, sed in omnibus suis posteris. Eodem modo intelligendi sunt alii SS. Patres, quos Vazquez & Pererius pro sua sententia adducunt. Cum verò Leo Papa ait quod Adam exutus fuit fidei vestimento, recte intelligi potest, quod exutus fuit charitate, quae cum sit forma fidei, veluti vestimentum ejus dici potest. Alii verò qui dicunt, Adamum peccando fuisse infidelem, non loquuntur de infidelitate quae contingit ex amissione fidei virtutis Theologicae, sed de infidelitate quae opponitur fidelitati, quam tenemur servare Deo in observatione mandatorum; quia ratione omnis transgrediens praecepta divina dicitur infidelis, quia non servat fidelitatem, licet non amittat virtutem Theologicam fidei, & contra omnis observans mandata, dicitur fidelis servus, Matth. 24. & 25.

§. III.

Corollarium praecedentis doctrinae.

EX dictis inferes, Christi meritum se extendere non solum ad omnia bona supernaturalia, quae conferuntur hominibus qui post ipsum nati sunt, sed etiam quae collata sunt antiquis Patribus, aliisque omnibus qui ab origine mundi fuerunt post lapsum primi parentis: Nam ut supra dicebamus, gratia & alia dona supernaturalia fuerunt in Christo tanquam in universali principio: Sed virtus primi principii alicujus generis universaliter ad omnes effectus illius se extendit, sicut virtus Solis, qui est causa universalis generationis, ad omnes rerum inferiorum generationes: Ergo virtus meritoria Christi extenditur ad omnia dona supernaturalia, quae conferuntur vel collata sunt hominibus, a lapsu primi parentis, sive in lege naturae, sive in lege scripta. Unde ad Hebraeos 9. Christus dicitur mortuus in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento. Et ad Rom. 3. Apostolus ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum*. Item Apocal. 13. Christus, dicitur agnus occisus ab origine mundi, eo quod pretio suae mortis futurae, gratia collata sit omnibus, quicumque illam receperunt ab origine mundi. Denique Actor. 4. Princeps Apostolorum ait: *Non est aliud nomen datum sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri, &c.*

Dices, Meritum, cum sit causa praemii, & via ad illud, debet prius existere: Sed meritum Christi non prius existit, quam gratia antiquorum Patrum, cum haec ante Incarnationem, & Christi adventum, ipsis collata fuerit: Ergo meritum Christi ad illam non potuit se extendere.

Respondeo non requiri necessario quod meritum prius existat in executione ante praemium

sed

sed sufficere quod existat in præsencia premi-
antis: Ratio est, quia meriti non est causa
physica, sed moralis: ut autem causa moralis
moveat, sufficit quod sit in præsencia & in-
tentione premiantis: unde ut Christus dicatur cau-
sa meritoria gratiae collatae antiquis Patribus,
sufficit quod Deus ab aeterno ejus merita in tem-
pore futura praeviderit, & eorum intuitu motus
& excitatus fuerit ad conferendam gratiam Pa-
tribus antiquis & aliis qui ante Incarnationem
& Christi adventum iustificati sunt.

Querunt hic aliqui, an Christus etiam merue-
rit gratiam collatam Angelis & primis parenti-
bus in statu innocentiae? Sed de hoc fuse egimus
supra disp. 1. art. 4. Unde ad hunc locum Le-
ctorem remittimus.

DISPUTATIO XXII.

*De servitute, oratione, & sacerdotio
Christi.*

Ad quæst. 20. & duas sequentes.

Postquam D. Thomas egit de pertinentibus
ad virtutem Christi, quantum ad operatio-
nem & meritum ejus, disserit de his quæ
Christo conveniunt per comparisonem ad Pa-
trem, & primo de subjectione illius ad Patrem,
secundo de ejus oratione, tertio de ipsius sacer-
dotio, de quibus etiam in hac disputatione a-
gendum. Sed quia Christus non fuit tantum Sa-
cerdos, sed etiam Rex, non solum de sacerdotio
Christi, sed etiam de regia ejusdem potestate &
dignitate, breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMVS.

*An Christus ut homo, sit verè & propriè
servus Dei?*

Negant Vazquez, Beccanus, Hurtado, Mar-
tinonius, & alii ex Recentioribus; affirmant
verò Thomiste cum S. Doctore, locis infra refe-
rendis, & ex Patribus Societatis Suarez, Valen-
tia, Ragusa, & alii. Pro resolutione

Diligenter observandum est, duplicem esse
servitutem, aliam naturalem, aliam legalem.
Naturalis ea est quæ in natura fundatur, & quæ
aliquis ratione productionis v.g. est inferior al-
terius, & ei subiectus, teneturque illi obsequi ac
obedire; & hoc genere servitutis filius est sub-
iectus patri, & qualibet creatura Deo, quia ra-
tione creationis est sub dominio Dei, & Deus
potest facere in illa, de illa, & per illam, quid-
quid voluerit; & si talis creatura sit rationalis,
tenetur Deo subijci, præceptis ejus parere, i-
psamque tanquam supremum dominum colere
& revereri: unde Angeli & primi parentes in
statu innocentia, fuerunt servi Dei hoc genere
servitutis. Servitus legalis ex Augustino 16. de
civ. cap. 9. est illa quæ non à natura, sed à lege
introducitur, & hæc est penalis quædam con-
ditio eorum qui aut bello capti, aut venditi,
subijciuntur domino alterius, juxta illud 2. Pe-
tri 2. *à quo enim quis superatus est, huius & servus est.*
Et hæc ratio est qui peccat dicitur servus pec-
cati & diaboli, quia ab eo superatus est, venun-
datus sub peccato, ut loquitur Apostolus.

A Notandum est insuper, inter hæc duo genera
servitutis, hoc præcipue interesse, quod
quod ille qui est servus servitutis legalis, non
sub alterius dominio, ut cum eo, neque in bonis,
neque in honoribus, neque in sede communicat;
unde Arist. 1. Politic. cap. 3. dicit servum esse
illum, qui non est gratia sui, sed alterius. Servus
verò naturalis non excludit jus ad communi-
candum in bonis & honoribus, ut patet in filiis
qui licet sit servus naturalis patris, habet tamen
jus ad communicandum cum illo in bonis & ho-
noribus. Sancti etiam, licet verè & propriè
servi Dei (& hoc nomine se insigniri gloriatur
D. Paulus, pluries repetens in suis Epistolis, *Je-
sus servus Jesu Christi*) quia tamen sunt filii Dei,
per gratiam, cum eo in bonis communicant, jux-
ta illud Apostoli ad Rom. 8. *Si filij & heredes.*
His præmissis, facilis erit resolutio difficultatis
propositæ.

§. II.

*Triplex conclusio difficultatis propositæ
resolvitur.*

Dico primò: Christus ut homo, non est
dici potest, servus Dei servitutis legali.

Hæc conclusio ex fundamentis jam statim
manifestè colligitur, nam ut diximus in secun-
do notabili, qui est servus servitutis legalis, non
sub alterius dominio constituitur, ut cum eone-
que in bonis, neque in honoribus, neque in sede
communicet: Sed Christus ut homo, ratione
nitionis hypostaticæ, communicat in bonis cum
Patre, cum ratione illius habeat jus ad gratiam
& gloriam, ac alia dona supernaturalia. Com-
municat etiam cum illo in honoribus & dig-
nitatibus: nam humanitas Christi, propter con-
suetudinem cum Deo, eodem cultu adoratur ut
Deus; & sicut mulier matrimonio Regi con-
iuncta, Regina appellatur; ita humanitas Chri-
sti hypostaticè Deo unita, qui est Rex regum,
Dominus dominantium, dicitur & est regina
Domina, juxta illud Pl. 44. *Aspexit Regina à decem-
tibus in vestitu deaurato.* Item Christus ut homo, in
sede cum Patre communicat, cum ad dexteram
ejus in celis sedeat: Ergo nec est, nec dici potest
servus Dei, servitutis legali.

Dico secundò, Christum ut hominem esse
verè & propriè servum Dei, servitutis naturali.

Probatur primò ex Scriptura, in qua Christus
vocatur sapiens servus Dei; Isaiæ 42. *Ecce servus
meus, suscipiam eum, &c.* Et cap. 53. *In servum
justificabit ipse justus servus meus multos.* Zachar. 3.
Adducam servum meum orientem. Idipsum in novo
testamento traditur Matth. 12. ubi Evangelistæ
locum ex Isaiâ adductum interpretatur de Chri-
sto. Et cap. 11. Christus alloquens Patrem dicit:
*Confiteor tibi Pater, Domine celi & terræ. Uni-
mine celi & terræ, omne quod factum est à Deo
& ipsum Christum, in quantum hominem, com-
prehendi, docet Athanasius lib. 3. contra Arri-
anos. At non est cur in metaphorico sensu illa
testimonia accipiantur, ut Vazquez contendit,
tum quia ex sensu rigorofo nullum sequitur
surdum, ut constabit ex infra dicendis, tum
etiam quia Ecclesiæ Patres mox referendi, à quo-
bus legitimus Scripturæ sensus hauriendus est,
illa in rigore acceperunt: Ergo Christus,
quantum ad Deum, verè & propriè est servus Dei,
servitutis naturali.*

Probatur secundò ex SS. Patribus, Christo in
homini propriam servitutem tribuentibus: Ita
Athanasius serm. 3. contra Arrianos, ubi vocat
Christum